



Joannes Henricus de Heucher,
Consiliarius Aulæ atque Archiater
Regius Anatomes et Botanices
Prof: Publ: Witteberg.

VITENBERG

Werk

Titel: Acta Academiae Vitembergensis

Jahr: 1724

Kollektion: vd18.digital

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN818794135

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN818794135>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=818794135>

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN814206034

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN814206034>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=814206034>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

ACTA

(22)

SACRAE ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

IN RECTORATV SEMESTRI
CHRISTOPH. HENRIC
DE BERGER

COM. PALAT. CAESAR. POTENT. POLON. R
ET ELECT. SAXON. A CONSILIIS AVLAE ATQVE IVSTIT
PARITER AC SVMMI PROVOCATIONVM SENAT. ANTECESSO
CVRIA ELECT. PROVINC. CONSIST. ECCLESIAST
SCABINAT. ITEMQVE IVDICII DVCALIS IN
MARCHION. INFER. LVSAT

ASSESSORIS

A. C. c^o 15^{cc} XXIII



VITEMBERGAE APVD GEORG. MARCVM KNOCHIV
M DCC XXIV

VIRO
MAGNIFICO
ATQVE ILLVSTRI
IOANNI
HENRICO
DE
HEVCHER
CONSILIARIO AVLICO
ATQVE ARCHIATRO REGIO
ANATOMES ET BOTANICES PROFES-
SORI IN ACADEMIA VITEMBER-
GENSI PVBLICO
H. T
ACADEMIAE RECTORI

VIR MAGNIFICE
ATQVE ILLVSTRIS
DOMINE ATQVE PATRONE,
SVMMA ANIMI SVBMISSIONE
SVSPICIENDE

Quo maius TVVM, VIR ILLVSTRIS, NOMEN est, eo maiorem iniectum mihi sentio metum, quod pagellis his, istud praefigere ausus fuerim. Siue enim cogitem, quanta Principes, maxime Potentissimus atque Clementissimus REX noster TE complectatur gratia, siue quantam apud eruditos quoscunque incomparabili TVA doctrina experientiaque singulari, consecutus fueris Nominis celebritatem, nullus uideo, quo modo haec mea audacia, ueniam inuenire possit aut excusari. At enim uero, scio quoque, quod, quanta Nominis TVI magnitudo, tanta etiam TVA sit humanitas, quam medii, infimi, omnes, experiuntur quotidie, atque depraedicant. Quidni itaque et ego, etsi horum sum omnium ultimus, in hanc ueniam spem, fore, ut eadem me suscipias iuxta ac bees. Et si forte inglorium meum nomen haud mereatur, minimum pagellae hae, si rem spe

species, merebuntur, quae rerum reddunt rationem in Academia hac, quam hactenus felicissime rexisti, gestarum. Quod superest Immortalem D E V M, quanta possum animi religione ueneror, ut cum splendidissima Familia, in MAXIMI REGIS nostri, cuius custos es corporis, incolumitatem, Academiae huius singulare orname-
tum, totius denique literati orbis incre-
mentum, quam diutissime uiuas, ualeas, flo-
reas! Ita animitus uouet

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

Demississimus seruus
GEORG. MARC. KNOCH,
Bibliopol.

Ad Lectorem.

Semestre effluxit, ex quo Acta Academiae Vitembergensis, a quibusdam collecta Amicis, tecum communicauimus. Quae, ubi beneuole ab iis uidimus accepta, qui rerum, erudito in Orbe gestarum, desiderio tenentur, continuationem damus. Neque te latere uolumus, quod aliam ingressi fuerimus eorum consignandorum rationem; quam, quo accuratiorem esse scimus, eo gratior rem TIBI futuram confidimus. Collecta enim, uti dictum, hactenus sunt a quibusdam amicis, nunc uero dissertationum, hoc semestri hic loci editarum, auctores id sibi sumserunt operae, adeoque rationem dictorum scriptorumue dederunt ipsi. Quantum inde ad TE redudent utilitatis, Tute iudica. Si placuisse TIBI hoc institutum deprehendimus, ulteriorem continuationem expectabis, eamque certissimam.

ACTA



ta
quia
com
le ab
udit
ur, m
e lat
uerim
; qua
o gra
. Col
us sum
differ
litaru
ae, ade
torum
ITB
ca.
e preb
ionem
am.
ACTA

ACTA
ACADEMIAE
VITEMBERGENSIS
IN
RECTORATV SEMESTRI
CHRISTOPH. HENRICI
DE BERGER

COMITIS PALAT. CAESAR. POTENTISS. POLON.
REG. AC ELECT. SAXON. IN SVMMO PRO-
VOC. SENATV ET NVNC AB AVL. ET IVST.
CONSIL. ANTECESS. CVRIAЕ PROVIN. SCABIN.
ET ORDIN. IVRID. ITEMQVE IVDICII
DVCAL. IN MARCHIONATV INFER.
LVSAT. ASSESSORIS.

A. G. CID IDCCXXIII

EX accepta a Maioribus consuetudine Acade-
mia Vitebergensis d. 1. Mai. ccccxxiii.
Nobilem Dominum CHRI-
STO-

IN R. C. H. DE BERGER

A

STOPHORVM HENRICVM DE
BERGER Com. Palat. Caef. Potent.
Pol. Regis ac Elect. Saxon. in Summo
Prouocat. Senatu et nunc ab aul. et
Iustit. Consiliar. Antecess. Curiae Elect.
prouinc. Consist. Eccles. Scabinat. et Or-
din. Iurid. Acad. Viteberg. itemque Iud.
Ducal. in Marchionatu Infer. Lusat. Af-
fessorem RECTOREM MAGNIFICVM solemnī
pompa renunciauit.

* * *

Die IV. Maii MDCCXXIII. cadauer foemi-
nae grauidae, quae laqueo sibi mortem concilia-
uit, in Theatrum Anatomicum illatum atque a
D. ABRAHAMO VATERO P. P.
Anat. et Botan. Substit. dissectum est
In huius utero foetus, quinque circiter men-
sium, succo amnii innatans, ac integumentis suis
circumdatus, oculis se exhibuit. Chorio ab
amnio separato, ac omnino aperto, succoque eius
effuso, in altero huius latere, placentae oppositae,
quasi inter ipsius duplicaturam, parum liquoris sta-
gnabat, quo per incisionem educto, flatuque im-
misso, insignis portio distenta fuit, ac suspicio-
nem haud leuem membranae allantois dedit.
Corruptio uero praesens fortiorum eius inflatio-
nem denegauit, atque sic ulteriori inquisitioni
finem imposuit.

Die

* * *

Die VII. Maii Dissertat. Inauguralem Medicam,
de Mortis subitaneae non vulgaris cau-
sis et remediis sub Praesidio CHRI-
STIANI VATERI, Ph. et Med. D.
P.P. Consil. Aul. et Archiatr. Anhalt. etc.
pro Gradu Doctorali legitime obtinen-
do exposuit IOANNES SIGISMVN-
DVS MOELLER Zittauiens. Lusat.
Vitemberg. Literis Gerdesianis pl. 4½.

Prooemium maxime infida et fallacia sanitatis
signa esse, ex repentina atque inopinata hominum
optime ad sensum se habentium morte euincit.
Th. I. Constat generali causarum improvisa
mortis enucleatione, quas a laesione circuli san-
guinis arcessit, II. Neglectis reliquis mortis su-
bitaneae, a causis manifestis atque externis ena-
tae, generibus, abstrusioribus saltem, quae ma-
ximopere sub Apoplexia, Syncope et Catarrho
suffocatio latent, indagandis inhaerere promit-
tit. III. Describit Apoplexiā, huius signa, diffe-
rentiam a Syncope, phaenomena circa pulsum, dif-
ficilemque ac mere palliatuam huius curam. IV.
Syncopen, ordinarium mortis naturalis prodro-
num et comitem, catalogo causarum repentinae
mortis inserit, cuius tamen curam, si a causis
externis, non adeo difficilem esse, perhibet. V.
Quid sit Catarrhus suffocatius, qua ratione
mortem excitet inopinatam, quaeque illius cau-
sae occasionales, explicat. VI. Sanguinis uiscidi-

tatem atque exinde enatam coagulationem, interitus subitanei causam habet. VII. Sanguinis boni abundantiam, sub Plethorae nomine famigeratam, qua cor cum uasis sanguineis nimium distenta, a tono naturali dimouentur, maxime accusat. VIII. Idem agnoscit in uehementi et tumultuario sanguinis motu, quibus uasa disrumpuntur, imo ipsum cor fissuras contrahit, sanguisque extra uasa profusus, uiscerum actiones turbando, uitae uinculum repente soluit. IX. Copiolam seri in partibus nobilioribus separationem, u. g. in pericardio, ventriculis cerebri, nec non X. Polypos idem praestare, uasis circulantibus per motum fortiorem intimius intrusos demonstrat. XI. Malam ualuatorum constitutionem, nimirum illarum coarctationem, atque indurationem, motui sanguinis officientem, mortales subito e uita auocare, innuit. XII. Saepissime ulcerum in uisceribus, u. g. pulmonis, hepatis lienis, occulte latentium, rupturam cum effusione puris in cavitates, uitae filum derepente abrumperet, adductis obseruationibus, probat. XIII. Nimirum corporis obesitatem, ut grauissimis malis corpus exponit, sic inter praecipuas repentinae mortis causas numerandam esse, censet: quatenus fibras tam nerueas quam carneas premando, motum succorum haud leniter turbet atque impedit, qui deinde, accedente leui occasione, penitus tollatur. XIV. Malam succorum diathesin clanculum et, maligne agentem, cuius origo maximam partem a subitaneis aëris mutationibus

nibus dependeat, multos repente uita priuare, indicat. XV. Postquam hactenus commemoratis thesibus, ipsae causae repentinae mortis occultae explicatae fuerunt, iam sequitur ipsa methodus, eandem praecauendi; hinc primo quaeritur, an praeseruatio a morte subitanea possibilis sit? Vbi respondetur utique, modo sedulo ad originem causarum respiciatur. XVI. Ex hac ratione, apparentibus instantis Apoplexiae signis, imo praesente etiam apoplexia, remedia aperientia, tam interna, quam externa, et uenae sectionem commendat. XVII. In Syncope pariter uenae sectionem laudat, si uero a uirium defectu, confortantia, subacidula, atque in uisciditate uolatilia et bezoardica approbat, monetque, ut Medicus simul aliorum affectuum habeat rationem, et Syncope saepius redeunte, prognostico, de impossibili huius cura, se munit. XVIII. In cura et praeseruatione Catarri suffocatiui, praecipue considerandum esse docet, an in sanguine atque Lympha, uel in primis uiis, origo morbi lateat; si enim in sanguine, sufficientem huius detractionem, et depurationem, si uero in primis uiis, cruditatum per emetica uel purgantia euacuationem conducere, ingenue monstrat. XIX. In Plethora abstinentiam a largo potu et cibo, moderatam corporis exercitationem, sanguinisque per phlebotiam imminutionem suadet. XX. Ad eadem fere in obesitate respiciendum, praecipue uero praeter successuam cibi et potus imminutionem, et conuenientem saepius repetitam corporis ex-

ercitationem, remedia aperientia, diaphoretica, diuretica, laxantia et saliuam copiose euocantia approbat. XXI. In Polypis, si adhuc infieri sunt, ad sanguinis uisciditatem praescribit resoluentia, polypo uero αὐμῆν iam assecuto, ab hisce abstinentiam esse, dictitat: ne polypus e sede sua deturbatus, mortem inopinatam, quam praecauere studemus, afferat, cum adjuncta utilitate uenae sectionis, in palliatua huius morbi cura. XXII. Ulcera pulmonum, sufficienibus indiciis demonstrata, per resoluentia et balsamica, nec non sanguinis euacuationem, emetica et laxantia, pro causarum ratione curanda, et sic mortem exinde timendam praecauendam esse, solicite monet. XXIII. Huic dissertationi admonitio, de attendendis diligenter aëris mutationibus, colophonem imponit.

* * *

Die IX. Maii tabulis publicis adfigebatur programma, quo ad orationem Inauguralem, qua Professionem Antiquitatum auspicatus est, Rect. Acad. Magnif. Patres ac Proceres Academiae, reliquos Antiquitatum Patronos, Ciues Academicos, ritu ueterum, inuitauit, et de Praestantia ac Visu Antiquitatum in reliquis artibus atque disciplinis, et item de Sapientum Honoribus ac τεαπέζης αιγυπτίαι, Von dem Königlichen Conuictorio zu Alexandria in Aegypten, edisseruit SAMVEL FRIDE-

FRIDERICVS BVCHERVS, Rengersd. Lusat. hactenus Magister Legens.

Vltima iam inde hominum memoria, quam regibus heroas, tam sapientes mecaenatibus, in oculis fuisse, omnium adhuc eruditorum, qui, perlustrandis in ueterum monumentis, aliquam posuerunt operam, in laude et memoria uersatur. Nomen *σοφίας*, in se satis amplum et perhonorificum, insignem sibi partae gloriae fecit accessionem, ubi uiri, doctrinae fama exquisitissimae perennes, uirtutis, familiae, generis pleni splendore, toti terrarum orbi lucerent. Altissimo autem in gradu dignitatis MARONES, DEMOSTHENES, SOCRATES antiquis esse locatos, tum alia, quibus laus reportabatur pulcherrima, tum amplissimi honorum tituli, testificantur, *σερνοὶ καὶ ἐπ' αξιώσει*, uti THEMISTIVS, ob facundiam Euphrades dictus, perbelle ait, *reuerentiae et dignitatis pleni*, quos inter *σοφισοῦ* nomen cum primis praeclarum atque honorificum erat, cuius rei testem habemus LVCIANVM, in *Praec. Rhet.* notanter scribentem: *σερνότατον καὶ πάνδημον ὄνομα σοφίσης*, sophista nomen est reuerendissimum et omnium ore celebratum. Vnde ICti, grauissimique uiri, magnos assecuti honores, in gloria sibi ducebant, cum nomine *σοφισοῦ* excellentissimo dungi censebantur, et ipse SOLON, Atheniensium *ῥήτωρ*, legislator, *πεῖστος τῶν πολιτικῶν λαβὼν τὴν ἐπωνυμίαν τάχην*, primus inter politicos.

politicos banc adpellationem sibi comparasse, apud ISOCRATEN, legitur. SVIDAE σοφίσης est quoque professor eloquentiae, CICERONI etiam φήτωρ, qui pereleganter, composite, illuminate dicit, praeſes reipublicae, legum interpres, prudens, Ictus ueterum, grauis uir, quales et πολιτικοὶ et φήτορες, et σοφοὶ, siue σοφίσαι, honoris causa, vocabantur, quam ad sententiam, alias ut taceam, accedit IVLIVS POLLVX, onomastico graeco ab obliuionis se iniuria adserens. PHILOSTRATVS de NICETE neruose admodum: Τὸ μέν γὰρ διανυὸν σοφισμῆνι περιβολῆι ἐνόσησε, τὸ δὲ σοφισμὸν πέντε διανυκτῶς ἐπέρρωσεν, iudiciale genus sophistico quodam amictu exornauit, contra uero sophisticum iudiciali aculeo corroborauit. Honos ille σοφίσων amplissimus, iam ultima hominum memoria, tam insigniter crescebat, ut eorum multi deorum reciperentur in numerum. Ethnici, saltim sapientiores, non, nisi unum, statuebant DEVVM, quem hinc αὐτὸν, touem ab Hebraeorum Ιησοῦ, uidelicet Ens nat' εζοχὴν summum, hinc πᾶν, uniuersum, hinc ἀπόλλωνα, cum Hebreis Ιησοῦ, qui omnia uastare et in nihilum redigere potest, adpellare consueuerant, cui soli κυριοὶ παντοκράτορι subiungebant, quemadmodum in Graecia proditum est memoriae, deos minores, ex heroum et sapientum corona, rerum ob gestarum praestantiam, diuinitatem ingenii, uirtutis nitorem, deorum in ordines relegatos, qui mos, ut cetera plura, romanam in ecclesiam uenit, papicolis canonizatio,

tio, quae Gentilium ἀποθεεῖ exscribit egregie, ex Romanorum loquendi more, dictus. ΠΛΟΥΤΩΝ, quem ΑΔΗΝ Graeci uocant, a PLATONE, SOCRATE, ARISTIDE salutatur τέλειος σοφιστής, praestans et diuinus sophista, et AEOLVS πολύτεχνος οὐδὲ ποικίλος σοφιστής, uerfatissimus et astutus sophista, ab quo sophisticam artem et facultiam Aegyptii didicerint, unde TZEZES ipsum, eodem ex argumento, uocauit φίτορα δευτερον πρεπόντως γεγενότα, disertissimum rhetorem, eximie scribentem. Sapientes, licet adhuc agerent inter homines, cum diis tamen multum et amice conuersari, plebi, infimaeque persuasum erat multitudini, fraudibus deceptae uatum, quorum astutitia sophistae summum in honoris fastigium ascendebat. Id erat ipsis honorificum, cum splendor nominis memoriam uirtutis et sapientiae renouaret cotidie, agnomine, maiorem in celebritatem, accepto. Proinde HOMERVS, poetarum princeps, dicebatur διος, THEOCRITVS et PLATO θεος, ANAXAGORAS νοης, ARISTOTELES δαιμονιος, δάλυμπιος PERICLES, DEMOCRITVS εν φιλοσοφιαι πένταθλος, HIPPOCRATES et PLOTINVS μέγας, HIPPias σοφος πατ' ἔξοχην, σοφώτατος Socrates, Θεοδίδαντος AMMONIVS, ALVMNI ΤΡΑΠΕΖΗΣ ΑΙΓΥΠΤΙΑΣ, significanter admodum, μανάριοι, et ΚΤΚΛΟΣ ΣΟΦΩΝ, ut cum antiquis loquar, uniuersa sophistarum gens, γένος θεον, SOPHISTA

VATES *ιερος*, si uero praefulsi dignitate conspicuus esset, *ιερότατης*, quod a PAVSANIA, ATHENAEO, PLVTARCHO, aliis commemoratur ad posteros. Idem papicolis, pontificem maximum compellantibus *ιερότατης*, *Allerheiligster Vater*, aucto gentilium ritu dudum, in consuetudinem abiit. Evidem mos, uiros salutandi prudentissimos, sapientissimosque *θαυμάσιας, πατέρας δεσπότας*, perantiquus, diurno, ut scite monet CRESOLLIVS, ARMORICVS, IESVITA, usu inualuit, ita, ut ipsi Hebraei, gloriam exinde se reportatuos, fuerint arbitrii. MOSES, IOSVA, PROPHETAE, APOSTOLI contra nomen *Ἄρχων, δόντων, ὑπηρέτου*, sclavi, serui in laudem sibi, commemorabilia humilitatis exempla, ducebant. Ipse SERVATOR optimus, praeter serui nomen, eximium *ὑπόδειγμα ταπενότητης*, humilitatis exemplum, nobis relicturus, *μωρῷν δόντου λαβών*, ut ait APOSTOLVS, formam, hoc est, statum, seruique conditionem induit. Serui & ancillae heris olim pedes abluebant, triginta aestimabantur argenteos, hominum abiectissimi erant, *περιψηφα* et *καθαρα*, quin immo iure antiquo nullius, ipso Romanorum iure, bruti ad imaginem, nulla capita habere in societate humana credebantur. Quemadmodum autem *ἀγλοι*, terra, marique, infimae sortis homines, ueterum Ictis pro nullis sunt habitu, in quos domini ius uitae et necis, absque ullo exceptionis, restrictionis, limitationis casu, possidebant:

bant: Ita sclavis ὑπηρέταις, ad triremes damnatis, *Ruder-Knechten*, qui in nullo erant numero, idem olim contigisse, in uulgo notum est, qualis mos hodie, quanquam paululum immutatus, non uenit in desuetudinem, unde formula, *auf die Galee schmieden*, Germanis est enata. VIRI, praeserim, SANCTI, nomen διακόνου antiquitus in deliciis habebant, cuius radix νοεῖν apud HOMERVUM festinandi, currendi, famulandi, operandi, quasi INTER PVLVEREM, significatum infert, interprete HESYCHIO et EUSTATHIO. Nam κένις et νοία puluerem designat, et HESYCHIVS νόει, σπεῦδε, τρέχει non tantum pro synonymis habet, uerum etiam, διακονίαν, seruitium, siue laborem seruilem, qui cum conatu, et festinatione, nec sine puluere et sudore, expeditur, antiquis significasse, extra omnem dubii aleam positum esse uidetur. Elegans metaphora a puluere, quem διάκονοι γέμωσαν, Graecis, uocem hanc, una cum publici cursus ritu, a Persa mutuatis, ἄγγαροι dicti, et publicis in viis, quo semper ad iter suscipiendum praestō esse possint, collocati, in itinere et labore seruili excitabant, festinanter incedentes. Diuinus ergo CHRISTIANORVM animus a uanis honorum titulis, in quos prophani huius seculi doctores omnes abiicere consuescunt cogitationes, quam longissime abfuit. Interim haec cum scribo, ad hominum castra fanaticorum haud accedo. Iustum enim qui titulum petit,

tit, non statim arrogantiae incurrit crimen, quippe honoribus, qui studiis saepe calcaria addunt, et aequis rerum censoribus in sinu atque oculis habentur, nihil in se αταξίας inhaeret. Abusum saltim ab ecclesia christiana remotissimum optant, qui humiliter et demissè sentiunt. PAVLVS, ab humanitate mirum in modum se commendans, ἀπόστολον se met ipsum honorifice compellat, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ Θεοῦ, legatum iuxta edictum, siue ex mandato, Dei. Αποστόλου uero uocabulum non tabellarios tantum, διακόνους ἐπιστάλης et τους ἐγκύρους γράμμata παρὰ τῶν ἀρχόντων ἀνακοινώμενους, literas circulares, edicta regia, inferiorum in manus magistratum circumferentes, uerum imperatorem etiam exercitus, expeditioni nauali praefectum, atque principis legatum γράμμασι ἀνατένει, editis regiis, praemunitum, perhonorifica significatione, uiris cum primis Θεοπνεύσοις accommoda, priscis perbelle designabat. Taceo IOANNIS, sanctissimum exemplum Seruatoris perillustre, qui de se ipse ait, IO. XIII. 13. *uocatis me: οὐ διδάσκαλός εἰς οὐ κύριός εἰς*, IPSE EST DOCTOR, IPSE ETIAM EST DOMINUS, et bene dicitis. Ne autem multus sim, aut praesens longe excurrat oratio, operae pretium est obseruasse, scholas non omnibus olim promiscue patuisse. Praesertim Athenis depositionis ritus, uti modernus fert loquendi mos,

anti-

antiquissimus in usu erat, maxime GREGORII NAZIANZENI, Θεολόγου, memoria, quemadmodum PHOTII μυριόθι βλος testatur, non infrequens. Studiosi, per omnes τῶν Βασάνων partes, exercitati tandem ad ipsa philosophiae adyta admittebantur. Veteres fastum, Φιλαυτίαν, reliqua, literis, quae poterant moram intericere, studiosorum ex animis excutere, descendique cupidis patientiae simulacrum ante oculos pohere intendentes, initiationem, examina, explorationem ingenii ac morum magni fecerunt, atque admonitos de officio uariis ritibus, a maioribus acceptis, ad προθυμίαν animique alacritatem inflammabantur. Vitam scholasticam ingressus nemo, nisi ἐγγεγαμένος, solemni inscriptus caeremonia, quare ueteribus ἐν σοφοῖς γράφεσσι est inter sapientes recipi, quae solemnitas literatos ulteriores ad honores cotidie inuitabat. Taceo in praesentiarum traditionem clavis, ubi, praesertim inter Hebraeos, τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, solemnii pompa, doctores ecclesiae accipere, moris fuit. Silentio praetereo collocationem in cathedram, in primis Mosis, quos ritus, in quinta passionialium antiquitatum dissertatione, passim percensere placuit. Θρόνος saltem Graecorum, inuocatis inaccessos, recenti teneamus memoria, in σοφισμούς et πολιτικούς Athenis diuisos, quibus praeerat professor, annuo salario talentum accipiens. Illustrē huius rei exemplum, ad posteros commemorandum, nobis praebet PHILO-

STRA-

STRATVS in APOLLONIO, sophista. Ipsa scholae uox, si notionem spectes hebraeam, σεμνότητα, grauitatem memorabilem, habet involutam. Namque non uenit ab radice שָׁלַח: uacauit, in otio uixit, quod etymon BECK-MANNO complacet, et item VALCHIO, sed ab Hebraeorum שָׁלַח, tranquillus, pacificus, saluus, fortunatus fuit, unde שָׁלָה appositissime sonat seruator, fortunatus, sanctus, augustus, et σχολὴ locus sacratior, augustus, fortunae fabrica, sedes tranquillitatis, ubi פְּקוּדִי, deposita diuina, puto, leges diuinitus sancitae, seram in posteritatem, adseruabantur, quemadmodum inter Gentiles IOVIS ΠΡΟΦΗΤΑΙ τὰς παρακαταθήνας, religiose custoditas, LYCVRGKI Lacedaemoniorum et SOLONIS Atticorum legislatoris statuta, in fidem acceperant. In antiquitate sacra celebris est ACADEMIA רֶבֶיר, urbs Palaestinae, in tribu Iudei, quae memoria CALEB et IOSVAE iam, summam ad gloriam, effloruit, et, ipsa notionis suae ui, procul dubio, ἀδύλου importat, locum Εεβήλωις et αἱράσωις inaccessum, quo doctrinae capita sanctissimae, κατ' ἴδιαν, more aucto, recitari sueuerant, et eloquentiae professoribus פְּקוּדִי, statuta, illic religiose deposita, pariter ac custodita, ut alias submonuimus, רֶבֶר, eloqui, per illius temporis consuetudinem, eximiā in laudem ducebatur. Subsequenti aeuo nomen urbis florentissimae קְרִיתָה סְפֵר in רֶבֶר, ueteres

ueteres immutarunt, ut fuerit quasi *musarum sedes, literarum, sive doctrinae, domicilium, τὸ ἀρχεῖον, archiuum*, in quo multa uetustatis monimenta recondita, in posteritatis usum seruanda. Hanc ob causam interpres chaldaeus VNI-
VERSITATEM illam, uetustate insignem rarissima, significanter admodum, nominauit
אַרְכִּי, *urbem archiui*, quippe ultima notio, ipso VICHMANNSHAVSENIO iudice,
 $\tauὸ \alphaρχεῖον$ Graecorum haud obscure represe-
 nat. In portas academiarum incisum erat illud:
Οὐδὲς ἄμουσος καὶ έξενλός εἰσίτω, illiteratus
*et prophanus non ingrediatur, ubi uocem έξεν-
 λός Critici deriuant πάρα τοῦ Εηλοῦ, ΗΟ-
 MERO domus limen designantis, unde EVSTA-
 THIVS, Homeri INTERPRES, exponit έξενλον
 τόπον, ὁ βατὸς, ὁ παντὶ βάσιμος, qui accessui
 expositus, qui tritus omnibus, et de persona di-
 cturni, ὁ μαρὸς νῆσος ἀνάγκηρος, qui scelestus
 et impurus. Graeci ergo magnam literis famam
 atque laudem celebratissimam reportabant, cum
 ab suis scholis, tanquam mysteriis, conditionis
 homines abiectae, longe abigerent, ut scholae
 pythagoreae indicat inscriptio, apud ORPHEVM
 de Testam. *άσιον συνετοῖς, θύεται δὲ Πλήστε έξ-
 Εηλοις*, quod alter, post PHILIPPVM, Germa-
 niae praceptor, Lusatorum quondam decus,
 MICHAEL NEANDER, apposite uertit: *Can-
 tabo doctis, uos uani claudite fores.* Idem PLA-
 TONI erat mos, qui *ἀγεωμετρήτους, αἴθωρά-*
*τους**

τοὺς καὶ ἄμοισσους ab scholarum claustris arcesserat, quemadmodum Hebraeis **חֶזְלִים**, id est, **אֲלֵגָרִים**, **profani**, quasi procul a fani et sacris dicti, ab synagogis, sanctisque coetibus excluderentur. Hierosolymis in templo atrium fuit impurorum et hospitum extrellum, muto discreturn intergerino, quem condecorabant, teste MAIMONIDE, pilae, hac cum inscriptione, **εἰληνικοῖς καὶ ρωμαινοῖς γραμματὶ** distincta: **μηδὲ εἰλόφυλον οὐτὸς τῷ αὐγίου παριέναι**, non decet alienigenum, in locum sanctum transire. Portae synagogarum infixæ legebantur uerba uatis: **זה ה שער ליהוה צדיקים יבואו בו**, haec est illa portæ Iehouæ, quam iusti ingredi debent. Tantus igitur amor, tantus honos, tanta religio, sacratiōres in locos, fuit ueteribus, qui summis enitescebat uirtutibus, honoribusque se dignissimos praestabant, relinquendo posteritati gloriae simulacra sempiternæ. Evidēt Gentiles templa aliquando cum ueteribus germanis, in **בֵּית פְּלִילָה**, **domum iudicii**, et dicasteria uertebant, ubi saepe numero iudicū iniquitas oppressos uendebat. Sed enim coetui addictis diuino, templa potius erant **תְּפִלָּות**, **בֵּית**, **δικαιοσυνῶν**, **aedes supplicationum**, uti CHRISTO, VIRIS SANCTIS, TALMUDICIS quoque, templum hierosolymitanum, omnino pereleganti adpellandi ratione, non sine emphasi, salutatur, quippe in sanctorum congregatione **תְּפִלָּות**, **suppli-**

Supplicationes, Memoriale, per uerum παρέμβασιν, aduocatum, et εἰσαγωγέα certissimum, qualis apud Athenienses ἵκεσίος λόγους, uel, ut EVRIPIDES ait, ἵκεσίος αὐτάγκας, der Griechen Memoriale, uti שׁוֹטְרִים, ὑπηρέται, apud Hebraeos in synedrium magnum הַתְּפִלָּה, literas supplices, in ariopagum tulisse, Graecis dicitur, IESVM CHRISTVM, coram iustissimo DEI tribunali, innotescebant. Huius rei fidem faciunt exempla ISRAELIS, ad DEVVM clamantis: Adiuua nos, Deus salutis nostrae, לְמַעַן שְׁמֵיךְ, propter nomen tuum, id est, quemadmodum CHALDAEVS uocem שֵׁם haud raro interpretatur, MESSIAM,unctum tuum, DAVIDIS et DANIELIS, qui literas, uti fert emphasis uocis hebraeae הַתְּפִלָּה, supplices, puto, preces, per MESSIAM, uti CHALDAEVS deuotissime transtulit, DEO in manus tradidit, deuotissime precatus: וְעַתָּה שְׁמַע אֱלֹהינוּ אֶל-

לְמַעַן אָדָנִי, et nunc attende, Domine, Deus noster, ad supplicationem serui tui, propter Dominum. PAVLVS hanc antiquam Hebraeorum precandi formulam illustrat egregie, atque ad uim uocis הַתְּפִלָּה, ritibus ex antiquis illustrandae, quam proxime accedit, cum gratiam DEI, per CHRISTVM partam, nobis tandem annunciat: εἰπήντον ἔχομεν πρὸς τὸν Ιησὸν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, διὸ οὐκοῦ τὴν προσαγωγὴν ἔχοντας τῇ πτελῃ εἰς τὴν χάριν ταύ-

την, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam habuimus accessionem, admissionem, fide, ad istam gratiam, et rursus: εἰς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, cuius beneficio τὰ αἰτήματα ὑμῶν, postulata nostra, γνάχεισθαι πρὸς τὸν Θεόν, innotescunt apud Deum. Atque sic formulae לְמַעַן שָׁם אֶרְךְ, לְמַעַן שָׁם, προσαγωγὴ διὰ τοῦ κυρείου, intercessionem CHRISTI diuinam, quam SVMMI SACERDOTIS olim intercessio adumbravit, nobis ante fidei oculos ponunt, ex antiquitate utique explicandae, quin immo, ANGELVM FOEDERIS, eandem ob rationem, ante captiuitatem babyloniam, בְּשָׁם, nomen ἄνευ Φώνης, בְּכָר, uerbum, post captiuitatem, מִזְבֵּחַ, uerbum, tempore noui instrumenti, λόγον fuisse adpellatum, nemo ignorat. Ab Hebraeis mos, summam sacratoribus locis reuerentiam exhibendi, perantiquus in Gentiles uenit, sanctum subinde DEI populum imitatos. Cum uero sophistae rerum, prae ceteris, sacrarum haberent curram, quin honos exinde ipsis magis magisque augeretur, fieri non poterat, praesertim, ubi mysteria in fidem accepissent, ἀ δὲ μύσαντες τηρεῖν ἔνδον, quae decet, ex ueterum sententia, intus custodire, quemadmodum, eleusinia cum primis sacra, μυστήρια quasi κατ' ἐξοχὴν, ut apud PAVSANIAM in Atticis et HERODOTVM in Euterpe legimus, diuulgare, summum nefas habebatur.

bebatur. Proinde ARISTOPHANES dixit
 $\epsilon\pi\rho\rho\tau\alpha\ iep\alpha$, *inessabilia sacra*, uidelicet $\kappa\alpha\delta'\ \eta\theta\eta$,
ciuititer, ob vim legis, quae habebat: $\tau\delta\ \dot{\epsilon}\xi\epsilon-$
 $\pi\omega\tau\alpha\ \tau\alpha\ \mu\nu\sigma\iota\epsilon\alpha\ \tau\epsilon\theta\eta\eta\alpha\gamma$, *mysteria diuulgan-*
tem mori debere, quod edictum DIAGORAS
MELIVS et AESCHYLVS uiolauerant, morte
deinceps mulctandi. Scholae ueterum, quae
διδασκαλία, *Φεοντιστήρα*, *παιδευτήρα*, *χορή-*
για, *διατριβή*, *μουσεῖα* vocari siveuerant, erant
Μυστήριον μυστηρίων, non dicam latibula, sed
domicilium cultus latentis arcani. *Δόγματα* prae-
sertim extantiora iuris fuisse publici negant ac
pernegant antiqui. Proinde PHOTIVS philo-
sophiam diuidit Gentilium in $\rho\pi\tau\eta\eta$ et $\alpha\pi\epsilon\rho\rho\tau\eta\eta$, IAMBLICHIUS, in *δόγματα* *απόρρητα* et
ἐκφορά, quorsum etiam antiquae spectant for-
mulae $\vartheta\epsilon\varphi\vartheta\eta\epsilon\vartheta$ *σοφία*, *παιδευματα* $\tau\alpha\ \dot{\epsilon}\xi\omega\vartheta\eta\epsilon$,
μαθήματα $\tau\alpha\ \dot{\epsilon}\xi\omega\vartheta\eta\epsilon$, uidelicet $\tau\alpha\ \dot{\epsilon}\xi\omega\vartheta\eta\epsilon$ *σο-*
φίστων, quibus *ἐγκύρως*, ut interpretatur SVI-
DAS, *ἀπαντοῦς* *ναζολικὰ* et *ἐξωτερικὰ*, ubi-
que *uulgata* et *obuia*, et item *ἔνδον* *σοφία*, *σοφία*
 $\tau\alpha\ \dot{\epsilon}\sigma\omega\vartheta\eta\epsilon$, nimirum $\tau\alpha\ \dot{\epsilon}\sigma\omega\vartheta\eta\epsilon$ *σοφίστων*, qui-
bus *ἐπιπτικὰ* et *ἀνεργαματικὰ*, minime protrita
ac *uulgata*, sed *accuracyora*, intra scholae cancel-
los *sancte custodienda*, prostabant. Philosophis
inde non infrequens erat diuisio auditorii in *ἐσω-*
τερηκὸν et *ἐξωτερηκὸν*, discipulorum in *ἐσωπε-*
κοὺς et *ἐξωτερηκοὺς*, quae singula quantum lau-
dis, gloriae, decoris literatorum attulerit ordini,
uerbis uix effterri potest. Praeterea habitus, *τεि-*

Σων, pallium ῥυτοριὸν εἰς Φιλοσοφικὸν, quod
 LEONTIVS, postmodum imperator, et M.
 ANTONIVS PHILOSOPHVS, subire, non
 erubescabant, inter honorum insignia referebatur.
 ATHENAEVS notantur adpellitat χλαμύδα
 λαμπρὰν, splendidam et candidam uestem, LAER-
 TIVS σχολαστικὴν ἐδῆται, uestem scholasticam,
 hinc subnigri, hinc candidi, hinc coloris purpu-
 rei. Χλαμὺς λαμπρὸς in primis Pythagoreis
 in sinu atque oculis habebatur, more Hebraeo-
 rum, quibus candor, prae multis gentibus, sa-
 ceras et festiuus erat. Reliquum etiam habitum
 Graecos ad ornatum composuisse, uetus as me-
 morat ueneranda. GORGIAS, rhetorum in
 Graecia princeps, et HIPPias ἐν πορφυρᾶς
 ἐδῆσι περγίερας, purpureis amicti tunicis prodire
 amabant, cuius rei testis est AELIANVS, uaria-
 rum historiarum compilator. Ex ATHENAEO
 addi poterat ATHENION, sophista, splendida
 ueste et annulo aureo superbiens. POLEMON
 praeterea, sophistarum non postremus, uti PHI-
 LOSTRATVS in uita eius testatur, in bigis, ar-
 genteo freno ornatis, phrygiis, celticisque qui-
 busdam uehebatur. Reges ac imperatores, ma-
 ximum in literarum emolumentum, sapientes ui-
 ros ornabant δώρεας, hoc est, auro, argento, man-
 cipiis, equo, atque δωρεαῖς, hoc est, praeroga-
 tiis, immunitatibus, pontificatu, publici cursus
 evectione, et si quae erant industriae praemia id
 genus alia. CHOERILO in Parthenia, insula,
 nato,

nato, postquam Atticorum uictoriam, de XER-
XE reportatam, perbelle finxerat, stater pro sin-
gulis uersibus soluebatur, et insuper, ut carmen
recitaretur cum homericō, edicto sancitum fuit.
Idem honos contigit ANTILOCHO, qui pileo
Iaconico, argenti pleno, donabatur, propter lau-
des, quas carmine cecinerat, LYSANDRI, quod
utrumque exemplum IOSEPHVS LAVREN-
TIVS et VALCHIVS, ut alios taceam, repe-
tunt. Digna sunt, quae commemorat PHILO-
STRATVS de POLEMONE, ut in recenti ha-
beantur semper memoria: Τραjanὸς μὲν αὐτο-
νομίᾳ τῷ πολέμῳ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης.
Αδειανὸς δὲ ηγή τοῖς ἀπ' αὐτῷ πᾶσι, Traianus
imperator ei, ut terra marique ab omni onere
immunis iter facere possit, indulxit. Adrianus
autem idem omnibus ex se descendantibus conces-
fit. In Asia philosophi constituti sunt στιάχαι,
λυκιάρχαι sophistae ac rhetores, Lyciae urbibus
qui praeerant. Exemplum illustre, ut ab eodem
PHILOSTRATO est memoriae proditum, ha-
bemus in HERACLIDE LYCIO, et HERODE
ATHENIensi, et item in SCOPELIANO, qui
fuit ἀρχιερεὺς τῆς Ασίας. Laudatus iam PHI-
LOSTRATVS POLEMONEM, sophistam,
Σύμβουλον, consiliarium, imperatoris M· AV-
RELII ANTONINI salutat, ita ut mos, sapi-
entes consiliarii honoribus et titulo iudicandi di-
gnissimos, non nudius tertius fuerit inuentus, at-
que de DIONYSIO MILESIO scribit: Αδειανὸς

γέ συτεράπτιν μὲν αὐτὸν ἀπέΦηνεν ὅντες ἀΦανῶν
ἐθνῶν. Κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίαις ιππεύουσι,
Adrianus enim praesidem fecit obscurae minime
prouinciae. Inter uiros quoque equestris ordi-
nis censeri uoluit. Nam erant, ut existimant in-
terpretes, δημοσίαις ιππεύουσας equites romani,
qui publicum habebant equum et annulos aureos,
atque id utrumque erat nomen et insigne ordi-
nis. AESCHINES ac DEMOSTHENES lega-
tionis munere cum laude fungebantur, quod idem
ueteres commemorant de GORGIA, e Sicilia
Athenas misso, qui tantum se, habitis orationi-
bus et exordio desumpto a laudibus eorum, qui
coronam conuocauerant, praestitit, ut dies illos
adpellarent ἑορταὶ, festos, orationes λαμπάδας,
ipsum autem μέγα ὄνομα εἰ τοῖς Ἑλλησι, inter
Graecos uirum magni nominis, ac Thessalonicen-
ses, solemni doctorum consensione, ρητορέουσιν in
posterum γοργάζεν adpellare, decreuerunt.
Tantis honoribus mactantur illi, in literis qui
aetatem cum GORGIA, siue in familiae splen-
dorēm, ducunt. Quid dicam de plausibus et ad-
clamationibus publicis, disceprationum, oratio-
num, studiorum comitatis finem, ac quidem
continuo nexu, cum solemni adprobacionis et
laudis formula: ΚΑΛΩΣ· ΣΟΦΩΣ· ΑΛΗΘΩΣ·
ΟΡΘΩΣ· ΕΥ· ΤΠΕΡΒΑΛΛΟΝΤΩΣ· ΘΑΤΜΑΣΤΩΣ·
BENE· PRAECLARE· BELLE· FESTIVE· RE-
CTE· PVLCHRE· NON· POTEST· MELIVS·
graecis, latinisque patribus non infrequenti, et
exinde

exinde nostris a confistoriis usu recepta? Quid de coronis, quid de imaginibus, in bibliothecis praesertim affixis, columnis, statuis, (Hebraeis יְרִים, eleganter admodum, manus dictis,) lapidibus, quibus sapientum laudes, memoriam in sempiternam, erant incisae, quid de sapientum memoria, in gemmis, monetisque conservata, et adumbrata, quid de aliis, inquam, antiquitatum monumentis dicam? Multitudo argumenti, rerumque dicendarum copia, manus hic abiicere, mihi auctor est. Interim consuluntur, uelim, praeter HOMERVM, PLINIVM, SVETONIVM, alias, LOMEIERVS, LIPSIVS, FRIGELIVS, LAVENTIVS, MEVRSIVS, VRSINVIS, BELLORIVS, VALCHIVS. Sapientum honoribus, gloria, laudibus me tandem cum explicare uellem, flores, qui leniter spirant odorrem, frondes, quae suauiter olenit amoenitatem, folia, quae iam pulchre rident, naturalemque de se spargunt uenustatem, in ἀνθοβολεῖν, ut cum ueteribus loquar, *florum sparitionem*, hoc, me, uerno tempore, leniter abducunt, taciteque monent, ut, cum alii se uiride in gramen et flores spargunt, in laudes sophiae, cui se totum a teneris consecrare, quam uolupe, ulterius, ubi cooperim, excurram. Evidem Leucoreae Polyhistor SCHVRZFLEISCHIVS, qui, cum uiueret, totus in antiquitatis studio erat, rerum indagator uetustarum longe felicissimus, publice, disputatione habita, *antiquum spargendi flores ri-*

tum, erudite examinavit, uerum breuitati deditissimus, ad praesens institutum quae facere poterant, non attingit. Erant autem, ne multis sim, flores, sigillatim *rosae*, *caryophillum*, *lilia*, *benevolentiae* et *protixi animi signa*, a iuuenibus olim ante regum, heroum, sapientum, addo, amasiae fores sparsa, uirginibusque passim, in amoris signum, ut HOMERVS et THEOCRITVS testes sunt, in manus missa, quo amoris symbolo simul regibus clementiam, sapientiam doctoribus, uirginibus uenustatem, solemniter quasi, gratulabantur. In oriente tale quid usu uenisse, ex CANTICIS partim eluescit, partim aliunde constat. Graecis praeterea, quod, apprime notari, meretur, Φυλαξολεῖν abiuerait in consuetudinem, ubi musae simul regibus, heroi, sapientibus, matronis, uirgini spectatissime florenti, qualis Homero ἐλιπῶται, uolubilis et nigra oculis, notione elegantissima, dicitur, frondes amabant spargere, uirides in ramulos diffusas, atque dense sparsas, quemadmodum ἀνδρεῖολεῖν erat consuetudo spargendi flores, quem ritum antiquitus uocabant ἀνθέων Σολαῖς, florum sparsiones. Vrbs, quam imperator, atque uir auctoritate pollens, erat ingressus, floribus tota conuestita et lauro redimita, ut antea laudatus antiquitatum, cum uiueret, amicus, uerba η πιλις πάσαι ἀνθέοι ηγή δαι Φυλαις ιστε Φάινωτο, quibus DIO CASIVS ritus illius honorifice meminit, docete interpretatur. Hoc ἀνδρεῖον, liceat ita loqui,

Blumen-

Blumen - Ständgen, Blumen - Werffen, antiquitus
haud raro excipiebant κέρασιδης et θυρεοπτίαι,
nocturna musica, ubi studiosi ueteres κωφας ει,
ἐπικωμάζοντες, οὐδὲ νᾶμον ξαδίζοντες, adfirmante
id THEOCRITO, cum facibus et taediis, ad
illustrium uirorum et amicarum ostium, magi-
strorum famam, laudes sophiae, heroum fortitu-
dinem, uenustatem amasiae decantabant, qui mos,
hanc ad usque memoriam, musis non est infre-
quens. Praeter alia musices organa ueteres, an-
te fores fidibus canentes, aut cithara pulsantes,
usi sunt instrumento μάγαδις, cuius fit mentio
apud ATHENAEVM et POLLVCEM. Huic
citharae subiiciebatur μάγας, siue μάγαδιον,
calamus ligneus, testibus SVIDA, HESYCHIO,
GRAEVIO, quo pulsata sonum edere posset.
Atque sic fama sophistarum, qui summam ad do-
ctrinae gloriam efflorescebant, longe lateque per
orbem emanauit.

Sint Mecænates, non deerunt Marones, ue-
tus habet prouerbium, cui adiicimus illud, ar-
tem, puto, literas et studia, quæuis terra alit.
DEVS ter optimus maximus, amore qui ineffa-
bili est in genus humanum, literas sartas, te-
ctasque, hanc usque ad nostram memoriam, ad-
seruauit. Quemadmodum, post densissimas pa-
patus tenebras, propensiſſima DIVINI NVMI-
NIS gratia, feliciter tandem superatas, VERI-
TAS et LVX EVANGELII omnibus perspicue
et clare, per diuinum LVTHERI ministerium,

rursus illuxit: Ita literarum studia, eadem tempestate, ab iniuria papicolarum liberata, et ab interitu reuocata, in lucem prodiere, doctorum animis cohortatione diuina ad industriam incitatis, qui cum LVTHERO et IONA Germaniam, cum PHILIPPO, BVDAEO, NEANDRO Graeciam, cum ERASMO et CALVINO Latium, cum REVCHLINO, SCHINDLERO, aliis Orientem, regna longe lateque diffusa, per barbarorum, puto, Saracenorum, Turcarum, Pontificiorum, aliorum inhumanitatem, atque saeuitiam deperdita, in integrum restituerent, et, ut AMERICVS nouum orbem, detergerent, quod sub AVGVSTISSIMIS IPSIVS REFORMATIONIS AVSPICIIS factum non sine arcano quodam DEI consilio uidetur, quo nempe VERITAS DIVINA radices altius agere, et, literarum opera, magis magisque efflorescere posset. Evidem hostis ille ueritatis ac sapientiae, πανούχης, ueterator sophista, literarum sacra funditus extirpare, hominesque densissimas in inscitiae tenebras abducere, multum elaborauit. Sed enim SAPIENTIA DIVINA, imperii fines eruditu tueri a latrociniis et fraudibus Satanae, sanctissimo consilio decreuit. Florent studia, efflorescent, nec deerunt musis mecaenates, summis in honorum fastigiis elucentes. Taceo GALLORVM, qui bonis literis se dignissimos praestant, industriam, mitto GEORGIO-RVM, qui apud Anglos atque Germanos omnem

curam

curam et cogitationem ad literarum incrementum conferunt, doctrinae adiuuandae peritiam, sino CHRISTIANORVM apud Cimbros, FREDERICORVM apud Borussos et in uicinia sollicitudinem atque curam, super laudes nostras positam, sed summam SVMMI MONACHAE, qui apud Moschos potitur rerum, doctrinae excellentiam, et infinitam prope in musas clementiam, nihilo magis ad elegantiam, quam ad firmam quandam soliditatem, utilitatemque serenissimos flectentem oculos, eo minus praetereo, quo plus ab Academiis Moscouitarum commodi publice expectandum uidetur. At enim uero, quod miramur in exteris, id, in AVGVSTIS NOSTRIS AVGVSTISSIMIS, qui AMOR et DELICIAE, quam generis humani, tam musarum, ut olim CAESAR AVGVSTVS, immortalē in domus Saxonicae memoriam, summam in patriae gloriam, insigne in subditorum solamen, emicare excellentissime, conspicimus, praesertim, cum auspiciatissimos regiae clementiae radios se in nos fusissime spargere, uidemus. Floret in primis sub SAPIENTISSIMO ET AVGVSTISSIMO FRIDERICO AVGVSTO, uere AVGVSTO, ac NVTRITORE PROPENSISSIMO, DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO, haec nostra Leucoris, coelestis ueritatis, ab antiquis acceptae, et litera-

literarum, uetustate celebrium, custos fidiissimus
cuius benignissimo moderamine gratia maioribus
parta non renouatur tantum cotidie, sed nouis
etiam indies beneficiis, in Academiae incremen-
tum, ad posteros commemorandum, augetur.
His regiae munificentiae uestigiis, EXOPTA-
TISSIMOS SAXONIAE PROCERES, PA-
TRES PATRIAЕ DESIDERATISSIMOS,
semper insistere, non adeo est mirum, cum IL-
LVSTRISSIMVM REGIS ad EXEMPLVM se
totos componant. Gratia haec, quam omnes
aequi studiorum censores, deuotissimo mentis ad-
fectu, reuerentur, atque sancte colunt, Acade-
miis nostris tanto hactenus affulsit splendore, ut
hae nouis auctae professionibus magnaam nobis
omnino crescendorum studiorum spem faciant.
SERENISSIMO PRINCIPI, PROFES-
SIONEM IVRIS NATVRAE ac GENTIVM,
IVRIS SAXONICI in hac ac Lipsiensi Acade-
mia erigere, et item ANTIQVITATES publi-
ce introducere, mihi uero ANTIQVITATVM
MVNVS in Leucorea nostra conferre, atque me
Professorem etiam Publicum, extra ordinem,
constituere, clementissime placuit. Quae cum
cogito, non possum, quin DEO TER OPTI-
MO MAXIMO gratias habeam humillimas, pro
innumeris in me collatis beneficiis, quod me in-
ter Euangelicos in uitam uocare, in ueritatis
uiam ducere, et, post tot superatas difficultates,
munere quodam publico tandem dignum habere
uolsruerit. Faxit NVMEN PRAEPOTENS, ut

ab

ab Satanae machinis , una cum Doctoribus Ecclesiae Euangelicae , liberatus , quicquid in posterum suscipiam , suscipiam unice in DIVINAE MAIESTATIS gloriam et proximi emolumen- tum. REGIS quoque gratiam , MAGNATVM benevolentiam , CONSISTORII SVPREMI prolixam in me uoluntatem ac benignitatem , submissa ac decenti mentis deuotione , agnosco , regiam PRINCIPPI tam CLEMENTISSIMO felicitatem , exoptatissimam tam desideratissimis MAGNATIBVS et CONSILIARIIS fortunam ad- precatus. Hac uero ipsa REGIAE CLEMEN- TIAE magnitudine , atque excellentia , monen- tur singuli , publico qui muneri praelunt , ut , in- timo ex animi affectu , qua fieri potest , ad pien- tissima REGIS et MAGNATVM exempla , quae nulla dicendo lingua adsequitur , musis praesertim , quibus res angusta domi , succurrant , prolixam Pa- tronorum uoluntatem ipsi concilient , seipso praes- tent in dando munificos , omnibusque modis Studiosos adiuuent , probe pensantes , *dianoviae*, curam pauperum , uti rite monet BROCHMAN- DVS , praecipuas inter *academici muneris* referri partes , doctores non sibi , sed DEO et proximo uiuere oportere , Academias tum demum florere literis atque gloria incipere , ubi doctores *dianovae* , quales in primitiua ecclesia pauperum habebant curam , ab omni priuati commodi studio alienissimi , unice ecclesiae ac reipublicae , emolumentum intendant , omnibusque et animi et corporis ui- tribus gloriam DEI promouere , admittantur . Aca- demiae

demiae Germanorum multae tantam celebritatis famam , certe nunquam fuissent consecutae, nisi uiris, perfecte planeque eruditis, summa ad gloriam , efflorescentes seipsas almam musarum matrem praebuissent, et Studiosos, ex omnibus terrarum angulis, benefaciendo ad se iuuitassent. Quemadmodum temporis iniuriam dolemus singuli, cum nempe , multos a ueritatis uia deflectere, uidemus; Ita uel in his, quorum tamen ad dogmata nuaquam accedemus , ualde laudamus adiuuandi studium et diaxovicav , qua mirifice se distinguunt , quanquam sint et maneant ueritatis hostes , qui benefactis suis plus nocent, quam aedificant. Sanctus uero plus quam paternus in illos , qui ad humanitatem , bonasque literas informantur, affectus tum SILESIORVM, tum LVSATORVM scholas atque Gymnasia, quae per tot secula orbem impleuerunt gloria, et tot examina iuuenum in Academias emisere, summum in celebritatis fastigium collocauit. Gymnasiorum , quae apud BVDISSIONENSES, GORLICENSES , ZITTAVIENSES florent , PATRONIS, infinitis sane meritis exsplendescen- tibus, iuuandi et beneficiandi promptitudo atque studium proprium uelut esse solet, qui nihil amplius, quam musarum inopiam leuare, ecclesiae ac rebus publicis bene praeesse, in oculis ferunt. Scholarum RECTORES et MAGISTRI, eruditione praestantissimi, maxima et pene immortalia in iuuenes collocant merita, iisdem Pa- tronos

tronos excitare munificos, die nocteque student, atque ciuium animos ita occupare suescunt, ut uix inueniatur inter hos unus aut alter, qui non aliquid beneficii quotannis apud scholarum alumnos ponat, quin immo beneficiorum intermissus turpis ac nefas ipsis habetur, quae certe in egenos pietas ciuibus, qui, tam saepe, intra fauillas, desolati, summam egestatem, non occulte, deplorarunt, nouas semper extruxit domos, extructas, breui admodum tempore, beneficiis diuinis ac diuiniis, ueluti coelitus delapsis, totas impleuit, urbesque ipsas, quae spectatissime florent, in formam longe uenustissimam reuocauit, restituitque. Magna igitur felicitas eorum, quibus religio atque iuuandi pietas, quae Hebraeis, significanter admodum, **חֲדָרַץ**, *iustitia*, siue illud, quod aequum ac iustum est, adpellari adsolet, a teneris, exemplorum multitudine perillustrium incitatis, eunt in consuetudinem. IDEVS fons benignitatis omnes SCHOLARVM et ECCLESIAE PATRONOS et doctores sospites atque incolumes conseruet, fortunisque exoptatissimis adfluentes esse iubeat, ac nobis etiam in posterum donet uiros, qui et ipsi liberaliter ac plena largiantur manu, ac alios ad beneficentiam decenter inuitent. His ardentibus, pientissimisque Ecclesiae Euangelicae precibus ac uotis praemisis, solo in DEI solatio innixus, *Munus Academicum*, difficultate sua non destitutum, auspicatorie rite, hoc est, nihil omittam, quod, mearum esse

esse partium, intelligo. Hinc etiam, sub hu-
ijs officiis auspiciis, *Lectiones Publicas Antiqua-
rias, VNIVERSAM IN SCRIPTVRAM SA-
CRAM*, initio tamen, plurimas ob causas, a
PSALMIS DAVIDIS et VTRAQVE PAVLI
AD TIMOTHEVM EPISTOLA sumto, uo-
bis, CIVES ACADEMICI, hora VI. uest. of-
ferre, et, ueterum ritu, die XIII. Mai. hora IX.
maturina, solemnem habere orationem de MEN-
SA AEGYPTIA et item *de Praestantia ac usu*
Antiquitatum in reliquis artibus et disciplinis est
constitutum. Quo itaque huic actui solemni
**MAGNIFICVS DOMINVS RE-
CTOR, PATRES et PROCERES Academiae**
**SPLENDIDISSIMI, PATRONI ANTIQVI-
TATVM AESTVMATISSIMI, una cum VE-
NERANDA CIVIVM ACADEMICORVM**
CORONA, interesse haut deditgentur, obser-
uanter et enixe rogo. Dabam Vitembergæ Sa-
xonum, Dominica Exaudi, anno partae gratiae
CICIO CC XXIII

* * *

Orationem dñe XIII. Mai. habitam, L.B. hichabe.

Sapientiae, **RECTOR ACADE-
MIAE MAGNIFICE, PATRES**
CONSCRIPTI GRAVISSIMI
SPECTATISSIMI QVE, vosque,
flos, robur, atque spes Patriae, CIVES VENE-
RANDI, quae, ueteri, interprete *Philosopho,*
Sophiae

Sophiae ac Sophisticae uenit nomine apud priscos perhonorifico, et *Philologia*, in quam, solidam qui ad eruditionem adspirant, omnes a teneris cogitationes abiiciunt, quaenam olim fuerit uis atque auctoritas, non omnium una fertur opinio. Qui nimio ueteris sapientiae amore ducuntur, Patriarchas, uirosque *Hebraeorum* ac *Graecorum* honoratos, in Philosophis, Philologisque, memorabilem ad eruditionis laudem efflorescentibus, summum tenuisse fastigium, quam *Philosophiam*, tam *Philologiam*, nostro adco modatam feculo, in sinu atque oculis tulisse, arbitrantur. Quorum in odium inueteratum incurrit *Aristoteles*, hi ultimos homines, procul literarum secretis, ut prisa sueisset gens mortalium, paterna rura bobus exercuisse suis, ab sapientiae studio alienissimos, cum literatorum uulgo sentiunt. Alii uarias, cum sacra ueteris instrumenti monumenta hic omnino silentia videant, in partes conjecturam ducunt. Sed enim quanquam uetus, fabulis mixta mirificis traditio, de *Adami* infinita prope sapientia et item de lapide philosophico, cranio *Adami* intexto, reconditoque, quod egregium fabulosae antiquitatis specimen multum habet laboris, difficultatisque, ex qua ipsi *Hebraeorum Magistri* se explicare nequeunt, ueritatis abs semita tantisper abducit, in neminem tamen existam grauis, si patriarchas *Polyhistorum* honoribus utique dignos, etiam si non ea ratione, qua doctrinae uiros stupendae, perhonorifico *Polyhi-*

IN R. C. H. DE BERGER.

C

storis

storis nomine distinguere, nostra memoria moris est, cum nostratis iudicem. Ritus hodie solemnis literatorumque comprobatos usū, modum cum partibus litigandi eruditis, qualis ciuibus academicis honori ducitur, ultima iam inde hominum memoria, abiisse in consuetudinem, nemo per facile opinabitur. Prisci sapientiae magis Φυσικῆς, quam τεχνικῆς, ut in scholis fert loquendi mos, amantissimi fuerunt, quin immo non domi semper iuuentutem ad mensam adcum- benthem, sed per prata, nemora, flores cum suis περιπατοῦντας, uel sub arboribus, umbra late exspatiatis, bonas ad literas, humanitatemque informasse, magnam ueritatis speciem omnino habet. Taceo Iudeorum industriam, mitto Ethnicorum sapientiam, sino ueterum Christianorum literarum studia, sed summam Papicolarum, qui aetatis fabulam olim non in literis, sed densissimis peragebant, ut in uulgs notum est, tenebris, ignorantiam eo minus praetereo, quo plus ignominiae ac damni Germanis exinde uenit. Licet enim inanis inter Scholasticos, barbarum eruditorum genus, sapientiae studium αὐτιλογιῶν et ἐριτῶν aliquamdiu uiguerit, Philologia tamen apud Pontificios turpissimam in obliuionem uenit, quam eruditionis partem ad Theologiam utilissimam, per Pontificis R. inhumanitatem nouissimos ad Indos relegatam, deperditamque, D. Lutherus una cum reliquis artibus ab interitu reuocauit,

uocauit, atque obliuione vindicauit perpetua. Maiores nostri, quibus, omnia scire solide, in deliciis erat, nihil habuisse prius, nihil antiquius, quam pristinum linguis, sapientiae, philologiae restituere florem, famamque renouare literis, insigne in studiorum incrementum, ad posteros commemorandum, centum et amplius uolumina, in lucem emissæ, testificantur. Taceo *Reformato-Caluinianorum*, quos, *Philologiam* semper tulisse uelut in digitis, omnes scimus, memorabilem industriam. Mitto *Flacios*, *Foersteros*, *Schindleros*, *Glassios*, *Franzios*, *Pfeifferos*, quorum ingens labor in assidua literatorum commemoratione uersatur. Sino mille et amplius alios, quorum honorificam mentionem facerem, nisi hac ab religione, non quidem mea me uoluntas, sed temporis abriperet angustia. At enim insignem summi, post hominum memoriam, *Philosophi*, *Philologi*, *Theologi* rerum philologiarum peritiam, qua permulti deinceps alii summum in locum uenerunt, eo minus praetereo, quo plus utilitatis ex eius scriptis in nos hactenus redundauit. Quam uerissimum est, cum doctrinae uir exquisitissimae Philologiam dextram, sapientiam sinistram adpellitat, quae in *Theologiam* eximia et singularia studia conferant. Hoc enim ipsum mille loquuntur eorum exempla, quos *Philosophia* et *Philologia* summos ad honores euexit. Etsi autem haec *Calvii* verba ex oraculo edita sibi putent, qui iam adplicarunt se

sacratae ad sophies familiaritatem, nemo tamen facile, nisi omni in re peregrinus atque plane hospes, orationem, in qua ueterum mens, antiquum ut habet prouerbium, leniter spirat, melle dulciorum fluere ex lingua et calamo, temere ibit inficias, quemadmodum *Antiquitatum usus*, longe lateque per omnes eruditionis partes diffusus, spargit se toto passim eruditorum, maxime *Theologorum*, campo, id quod *Drusii*, *Merceri*, *Ludouici de Dieu*, *Cartwichtii*, *Pocockii*, *Lightfooti*, *Seldenii*, *Cappelli*, *Altingii*, *Buxtorffii*, *Cocceii*, *Bocharti*, *Burmanni*, *Walaei*, *Witzii*, *Braunii*, *Vitriniae*, *Goodwini*, *Relandi*, addo, *Sixtini Amamae*, *Münsteri*, *Basnagii*, et ex Pontificiis *Tostati Alphonsi*, ex nostratis *Schindleri*, *Geieri*, *Dilherri*, *Tarnouii*, *Dieterici*, *Schickardi*, *Sauberti*, *Varenii*, *Glassii*, *Franzii*, *Schmidii*, *Carpzonii*, *Frischmutbi*, *Pfeifferi*, *Wagenseilii*, *Arndii*, *Ostermannii*, *Stolbergii*, *Kirchmaieri*, *Dassouii*, selectissimis sane uoluminibus et disceptationibus passim non uulgaribus, uerum doctrina insignibus exquitissima, testantur. Quae res, tamesi illis, qui iam eruditos inter occuparunt locum, omnem extra dubiâ aleam sit posita, ita, ut ad hos si mea se uerteret oratio, prorsus in aquam, aut arenam scriberem, aliorum tamen in gratiam, quibus, regna piscorum adire, nondum contigit, et ut inter illos, quos scholae nuper ad nos emisere, de ui, auctoritateque antiquitatum certius quid constet, hoc in splendissimo

dissimo doctorum confessu, in MENSAM AEGYPTIAM et item in usum, atque praestantiam antiquitatum solemnis ubi oratio, ueterum ritu mihi fuit iniuncta, succincte, strictimque commentari, cum animo habemus statucum. Ne autem spes et expectatio mea in irritum redigatur, a VOBIS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI GRAVISSIMI, SPECTATISSIMIQUE RELIQVI LITERARVM FAUTORES AESTVMATISSIMI, ut beneuola auscultandi opera fidem meam liberetis, prolixaque in antiquitatis studium uoluntate uestra, in amanissimae coronae animis desiderium, suffragiumque scribatis, omni obseruantiae cultu, decentissimo que pietatis affectu, sollicite rogo, contendoque.

Quemadmodum pulcherrime fortunam secundam, ut uetus habet prouerbium, ferre, difficulter, atque aegre fit: Ita continuae successus felicitatis multum in sapientibus habebat difficultatis et laboris. Namque toti, quod fieri suevit inter homines, immersi uitiiis, inextricabiles in fraudes et rixas implicati, machinas ad struendas compositi, omnibus postmodum in odio erant, et de throno laudum atque dignitatis deiecti, ipsis principum edictis, terra et prouinciis excludebantur. Qui sophistae antea superbiuerat nomine, iam in *ἀπατεῶνα, διδάσκαλον*

πανούργον, transibat, qualis olim erat ἀντιλόγη-
 νος et ἐρισκὸς, Scholasticorum et Aristotelico-
 rum, maxime Pontificiorum, parens, quorum an-
 tesignanus et princeps Diabolus, interprete GRE-
 GORIO NAZIANZENO, οὐφίσης τῆς κανίας,
 πρῶτος καὶ μέγις τοῦτος αὔρατος τῆς κοσμι-
 κῆς οὐφίας οὐφίσης, struendae malitiae primarius
 et maximus inuisus mundanae sapientiae sophista,
 SPIRITVI S. notanter dictus ■■■■■, πανούρ-
 γος, ut uertit AQVILA, ueterator sophista,
 quod aliis complacet. Sed hoc tamen in cor-
 rupto rerum statu, ea tempestate, flos sapien-
 tum fuit, flos et robur ciuium academico-
 rum, Alexandriae, ut haec, quemadmodum
 inter Hebraeos Hierosolyma, iuxta mentem
 EVSTATHII et STEPHANI πόλις κατ'
 ἔξοχὴν princeps urbi ac regina, audiretur, de
 qua AELIVS DIONYSIVS et CALLIXENVS
 RHODIVS, teste ATHENAEO, literarum mo-
 nimentis quaedam consignasse feruntur. Erudi-
 tis academia alexandrina fuit patria, ubi inter
 Criticos et Philologos ARISTOPHANES BY-
 ZANTIVS, ARISTARCHVS, DIDYMVS
 CHALCENTERVS, DIONYSIVS THRAX,
 APOLLONIVS DYSCOLVS, HERODIANVS
 ASTYAGES, PHILOPONVS, SERGIUS,
 APOLLONIVS IVNIOR, HERODIANVS M-
 alii, inter Philosophos AMMONIVS, PLOTI-
 NVS, PORPHYRIVS, IAMBLICHIUS, SO-
 PATER, et centum alii, aeternam, quae ad her-
 culeas

culreas innotuit usque columnas, gloriam sunt consecuti, ad quos audiendos florentissimi undique confluabant iuuenes, testa GREGORIO NYSSENO, in uita S. GREGORII THAV-MAT· πανταχόγεν συνέρρει νεότης τῶν περὶ Φιλοσοφίας ἐσπουδαιότεν, undique iuuentus confluebat philosophiae operam dans. In primis imperatorum munificentia musas, hanc in academiam, inuitauit, quae fuit tanta, ut, post hominum memoriam, uix ac ne uix sint inuenti, qui simile nobis benignitatis exemplar reliquerint. Erat Alexandriae regia, a singulis ferme, ut habet VALCHIVS, felicissimus antiquitatum interpres, regibus aucta, et nouis ampliata ornamentis, in parte urbis amoenissima, quae mare spectat; collocata, et in membra diuisa, quorum aliquid dictum est μυτεῖον, museum, de quo ex antiquioribus ARISTONICVS, CALLIMACHVS, ALCIDAMAS ὁ τὸν Αἰγαῖον μουσῶν, uidelicet de museo alexandrinō, quorum tamen monumenta temporum iniuria devorauit, et ex recentioribus IONSIUS, GRO-NOVIVS, KVSTERVS, RECHENBERGIVS, ESCHENBACHIVS, literarum monumentis quaedam consignarunt, quibus addi poterat FABRICIVS et VALCHIVS. Pluribus uerbis in huius musei, rarissimi antiquitatis monumenti, percensione commorari, et omnia, quae obliuione non sunt sepulta densissima, perlustrare oculis, et argumenti dignitas, et uetus statis iucunditas

suadebant. Moris autem fuit antiquitus, beneficium illud, ex regia libertate profectum, et apud viros, quam ingenii beneficio praestantes, tam virtutum et eruditio[n]is encomiis ornatos, auctoritate regia positum, appellare *μουσεῖον*, *αἰγυπτίαν σύνησιν*, τρέπται *αἰγυπτίαν*, οὐσίαν φιλολόγων ἀνδρῶν, κύκλον μουσείου atque sic amplius, die *Ægyptische Communitaet*, das Conuictorum zu Alexandria in *Ægypten*, quas inter notiones mihi illa, qua *ρεάντζα αἴγυπτια*, der *Ægyptische Frey-Tisch*, salutatur, cum primis arridet, non tantum, quod eleganter ita graece dicitur, uerum etiam, quod ad uaria antiquitatis monumenta nobis pandit iter. Veteres maxima merita, et gratiam pene immortalem mensae nomine complectuntur, quae loquendi consuetudo tanto priscis erat in amore, ut coelestia beneficia, ipsam aeternam felicitatem, sub mensae et conuiuii laetitia adumbrari, ipsi SPIRITU S. non displicuerit. Nec minus eleganter κύκλῳ vocatur *συναγωγὴ*, *synodus*, conuentus doctorum in museo celebrium, quo ipso mos adcumbendi, super lectolis stratis, Hebraeis, Indis, Medis, Persis, Graecis, Aegyptiis, Romanis usu comprobatus, in cuius examine alias multus fui, tacite in memoriam reuocatur. Circulus olim perfectionis erat symbolum, maxime publici ubi conuentus instituerentur, propterea priscis חֶנְעָה, κύκλῳ, *corona*, notione perelegante dicti. Iudicia aequa ac conciones antiquitatis

tus sub dio, iudice atque assessoribus in coronam conuocatis, habebantur, ut iustum semper et aequum ob iudicium obseruaretur oculos, quod iniustum, iudices sedulo auersarentur, ac, circulos hos sacratores non hominibus, sed ipsi Deo haberi, probe cogitarent, atque intelligerent. MAIMONIDES de synedrio magno notanter ait,

וְהַם יוֹשְׁבִין בָּכֶם חֲצֵי גָּזָן בְּעִגּוֹלָה, et ipsi, scilicet assessores, sedentes erant, ueluti in dimidiata area circulari, ac GEMARA HIEROSOLYM neruose, **סְנִחּוּרִין רִיחָתָה כְּחָצֵי גָּזָן**, **עִגּוֹלָה**, synedrium erat instar semicirculi. Exemplum quoque Achabi et Iosaphati illustre est, qui sedent **בְּגָזָן**, in area, interprete KIMCHIO, **כְּחָצֵי גָּזָן עִגּוֹלָה**, uelut dimidio rotundae areae, et idem Absolonis ad semitam sedentis uiae portae, **עַל יְדֵ רַכְבָּה שְׁרָאֵל**, iuxta LXX SENES, **εἰρὰ χεῖρα τῆς ὁδοῦ τῆς πόλης**, ad MANVM, hoc est, COLVMNAM, STATVAM PVBLICAM, quae manus imaginem adumbrabat, **סְמִתָּאֵי הַפְּתַח**, portae. Graeci similem in modum **κύκλων ποιεῖν**, aut **τάττειν**, circulum instituere, amabant, praesertim cum, sub arboribus et porticu in lapidibus circulatim sedentes, iudices agerent, aut iuuentutem, bonas ad literas, informarent. Collium, faxorum, **κύκλων** usus erat in comitiis, regum electione, iudiciis, concionibus, apud antiquos Frisos, Saxonas, Cimbros, Teutonas, Heluetios, id quod SNORRO, VORMIVS,

KEYSLERV^S indicant, exemplisque aliquot comprobant, quemadmodum LEHMANNVS etiam in Chronic. Spirens. unius alteriusue fecit mentionem exempli, et sicut mihi met ipsi in patria mea κύκλῳ eiusmodi, maioribus sacratus, lapidibusque coronam constituentibus consitus, aliquot ante annos, est uisus. Siue autem per κύκλον cum LIPSIO, SALMASIO, STEPHANO, GRONOVI^O, τάξιν, ordinem, συναγωγὴν, synodum doctorum, conuentum in museo, circulum, coronam, multitudinem eorum, qui adfidebant mensae, qualis significatus, teste OLEARIO, PHILOSTRATO frequens est, siue cum LVDOLPHO KVSTERO aliquando mensam intelligas rotundam, quod, ante hunc, uiri iam laudati monuere, parum nostra refert, sufficit, hic adnotasse, ueteres ad Numinis praesentiam, quod praefens conuentibus credebant, totos se composuisse, atque uel nos tacite quasi ad honores, iudiciis, scholis, aliisque coronis solemnibus exhibendos, inuitare. De cetero CAVBONVS uehementer fallit, cum TIMONIS PHLIASII uerba apud ATHENAEVM, quibus mensam illam aegyptiam τάλαρην μουσάων, *quafillum musarum*, adpellitat, de uenusta periphrasi musei alexandrini interpretatur, siquidem hic Philosophos traducit, et acerbe pungit, ἐπισκάπτων τοὺς ἐν ἀνταῖ τρεΦομένους φιλόσοφους, ὅπι ἄσπερ ἐν πανάρχει στοῦνται, παράπερ αἱ πολυτιμόταται ὄγνιδες, diceriis incessit illos, qui in

in ipso alebantur, philosophos, quod quasi in reticulo saginarentur, ut pretiosae auiculae. Quando eruditis, circa musei huius auctorem, exoritur lis, uiri docti coniecturam uarias in partes ducunt. PLVTARCHVS concinne: Πτολομαῖος ἐπρώτος συναγαγὼν τὸ μουσεῖον, Ptolomeus ille primus collegit museum, quod plerique de PHILADELPHO dictum uolunt, quia PLVTARCHVS super regum Φιλομούσων occupetur laudibus, quos inter PHILADELPHVS facile princeps, iudice TERTVLLIANO, eruditissimus, ac omnis literaturae sagacissimus. Certe maxima sapientum pars hanc it in sententiam, et PHILADELPHVM honores et beneficia in sapientes effudisse largissime, nemo, nisi omnis omnino antiquitatis expers, ibit inficias. Alexandria, ipsius memoria, effudit oratorum copiam, criticis et sapientibus adfluentissima. Museum, quod ingredi iam est in animo, praemittebat περίπατον, locum obambulandi, amoenissimis consitum arboribus, in quo temporis fallendi causa morabantur, qui meditationibus uocabant, cuius meminit STRABO, cum scite ait: Τῶν δὲ Σαπιλείων μέρος ὁ Πτολεμαῖος τὸ μουσεῖον ἔχον περίπατον καὶ ἐξεδραν καὶ δικον μέγαν, εἰς ὡς τὸ συστίπον τῶν μετεχόντων τοῦ μουσείου Φιλολόγων ἀνδρῶν, ipsius regiae pars est etiam museum, habens ambulacrum et domum maximam, in quo coenaculum est eorum, qui participes sunt musei, philologorum hominum. Veteres praeſertim ſe-
ceſſum

cessum amabant, porticus, arbores, quae ramis diffundebantur, auditorio quasi inferuientes, ubi φιλοσόφους philosophi disputabant, docebantque. Speciali nomine φίλατρο erat ambulacrum gymnasii ARISTOTELIS, ad quod Athenis ingens musarum multitudo se effundebat, quanquam ante ARISTOTELEM confabulandi ritus inter ambulandum usitatus erat, unde, monitore GRONOPIO, significat et ὥμιλια et scholam apud ARISTOPHANEM et EVRIPIDEM. Εὔδεξη, cuius mentio iam apud STRABONEM est iniecta, honestas ac honoratas habebat sedes, cum primis saxa, in quibus philosophi, rhetores, iudices, aliquique uiri honorati, insidere sueuerunt, uti tradit VITRVVIVS de palaestrarum structura. Οἶκον μέγαν, in quem STRABO nos itidem abducit, cum CASAVBONO plerique uertunt maximam domum, ubi monet GRONOIVS, οἶκον hic non esse domum, sed partem domus, conclave uel cubiculum aliquod maius, aut latius, diaetam, coenationem. Hanc in rem auocat IVLIVM POLLVCEM ita scribentem: τὸ δὲ συμπόσιον ἐκ τοῦ ἔργου ἀνοματένον καὶ συστίπον καλεῖται. Λέγεται δὲ στηθοφόρον, πεντάκλινον καὶ δεκάκλινον, locus conuiuii, aut coenationis symposian, nominatur ab eo, quod ibi sit, et syssition uocatur. Dicitur autem locus trium, quatuor et decem lectorum, siue mensarum, id est, qui capit tres, quinque, decem lectos. At enim uero siue maximam do-

tum, siue partem musei interpreteris, eodem
 recidit, dummodo partem illam, longe lateque
 se diffundentem, ubi lauta doctorum habeban-
 tur conuiua, intelligas. Prope hoc museum
 templum erat extructum SERAPIDIS, et alumni
 huius mensae, praesulsi, quem STRABO ιερέα
 adpellitat, ad nutum, auctoritate legum, se con-
 uertebant. Namque μουσεῖον, delubri ad ima-
 ginem, sacratissimum erat, uti νυμφεῖν, fanum
 nympharum. STRABONIS uerba sic habent:
 Εἰ δὲ τῇ συνόδῳ πεύτῃ καὶ χείματα πονᾶ,
 καὶ ιερεὺς ὁ ἐπὶ τοῦ μουσείου πεταγμένος, τόπο
 μέν ὑπὸ βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ καισαρῶν, sunt
 isti collegio etiam pecuniae communes et sacerdos,
 super museum hoc ordinatus, olim quidem ab re-
 gibus Aegypti, nunc autem a caesare, TIBERIO.
 Hic bibliotheca adseruabatur APOLLINIS et mu-
 sarum. EPIPHANIUS de ponderibus et men-
 suris neruose: Οὐτως διὰ Βιβλοὶ ἐς Ἑλληνὶσθαι
 τεθεῖσαν απετέθησαν εὐ τῇ πρώτῃ Βιβλιοθήκῃ
 τῇ τῷ βερυχίῳ οὐκοδομηθείσῃ. Εἴπι δὲ ὑσε-
 ερι καὶ ἐπέκριτο Βιβλιοθήκην εὐ Σεραπίῳ μι-
 λεπίρροτα τῆς πρώτης, πάντας καὶ θυγάτηρ ἀναμάσθη
 εινῆς, ita hi libri, (Mosis,) graece redditii, sunt
 positi in bibliotheca priore, quae instituta est in
 Bruchio. Postea et alia fuit bibliotheca in templo
 Serapidis, quae minor fuit, et dicta est quasi filia
 alterius: et item ATHENAEVS eleganter ad-
 modum: ὡς δὲ Βιβλίων πλήθους καὶ Βιβλιοθη-
 κῶν κατασκευῆς καὶ τῆς εἰς τὸ μουσεῖον συναγω-
 γῆς

γῆς τὶ δεῖ ηγῆ λέγειν, πᾶσι τάχτων ὄντων καὶ μηδὲ μην, de librorum autem multitudine et bibliothecarum aedificiis, (scriniis,) et de musei structura quid attinet dicere, cum in hominum memoria haec uersentur. Bibliothecae regiae, per totum orbem olim celeberrimae, praefuit ZENODOTVS EPHESIVS, πρώτῳ διορθωτῃς ὁμήρου, primus corrector HOMERI SVIDAE dictus, CALLIMACHVS CYRENAEVS, poëta et criticus, ERATOSTHENES CYRENAEVS, CALLIMACHI. Ad mensam hanc adcubituros uiros esse oportebat honoratos, τοὺς δὲ πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους, per totum orbem celebres. STRABO commemorabat antea, ὃ ᾧ τὸ συστίπον τῶν μεταχότων τοῦ μουσείου Φιλολόγων ἀνδρῶν, in quo coenaculum philologorum hominum, qui participes sunt musaei, ubi per Φιλολόγους intelligit, stilo ueterum, non grammaticos tantum, uerum uiros etiam, multum qui poterant a facundia, et quibus sapientia erat in deliciis et amore. THEOPHILOSOPHVS SVIDAE de numero fuisse alumnorum dicitur, ὃ ἐκ τοῦ μουσείου αἰγύπτιοφιλόσοφος. Insidet in memoria exemplum DIONYSII MILESHI perillustre, commemo randum ad posteros, a PHILOSTRATO recensitum: Αδριανὸς κατέλεξε τοῖς ἐστὶ μουσεῖῳ στουμένοις. Τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα αἰγυπτία ξυκαλοῦσε τοὺς δὲ πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους, Adrianus adlegit illis, in museo qui alebantur. Museum autem aegyptia est mensa, inuitans ui-

ros, ex omni terrarum orbe, celebres. PHILOSTRATVS exemplum adiicit POLEMONIS Ξυμεούλου, regii consiliarii, in uita eius, Λδριανός δὲ κατέλεξε αὐτὸν οὐκ τῷ τοῦ μουσείου κύκλῳ ἐξ τὴν αἰγυπτίαν σίτησω, Adrianus autem in musei circulum eum adlegit, in aegyptiam illam coenationem. PHILOSTRATVS tertium recordatur exemplum ADRIANI, sophistae, quem ornavit imperator Δωρεᾶς οὐκ δώρεις, ubi per δωρεᾶς intelligit τάς τε σιτήσεις, οὐκ τὰς πρεδεῖας, οὐκ τὰς ἀτελείας, οὐκ τὸ ιεράθη, οὐκ ὅσα ἄλλα λαμπρύνει ἀνδρεῖς, coenationes publicas, loci praerogatiwas, immunitatesque et sacerdotia, et quae alia uiros illustres reddunt, per δῶρα vero χρυσὸν, δέργυλον, ἵππους, ἀνδράπεδα οὐκ ὅσα ἔρμηνει πλοῦτον, aurum, argentum, equos, mancipiu, et quaecunque diuitiarum sunt argumentum. APOLLONIVS TYANENSIS epistolam legitur scripsisse τοῖς ἐν μουσείαις σοφοῖς, uiris sapientibus in museo alexandrino, cum uenisset ad Argiuos, ἐθερβαζώθην ὃν χεόντις ὡν αὶ φ' Ἑλλάδος, αἱλαὶ χεργίνος ὡν ἐν Ελλάδι, barbarus factus sum, non quod diu a Graecia absurrim, sed quod diu in Graecia fuerim. ATHENAEVS exemplum superaddit poëtae Pancratis, qui, figmento egregio, luctum HADRIANI, ob ANTINOI mortem grauiter uulnerati, leuauit, moestumque animum renouauit ab sollicitudinibus: Ησθεὶς δὲν ὅπῃ τῇ τῆς ἐννοίας ἐνρέσσει οὐκ γεότητι τὴν ἐν μουσῶν αὐται σίτησιν ἔχειν ἐχαρισματο

exorto, delectatus imperator commenti huius ingenio et nouitate, annonam, ex musarum redditibus, ei largitus est. IONSIVS legit hic ēν μουσέωι, DALECHAMPIVS ἐν μουσαίοις, alii, ēν casum asciscere genitium, arbitrantur. Sed errant omnes hi, ualdeque decipiuntur, quippe dicitur ἐν μυστῶν, ut ipse EVSTATHIVS, HOMERI scholiastes, notauit, κατ' ἔλλειψιν ἀπικῆναις, ἐν μουσῶν scilicet οἰκαι, κύκλαι, συνόδαι, qualis loquendi mos Graecis non erat infrequens. Quid enim crebrius est in Graecia, quam ἐν ἄδου, ἐς ἄδου πρὸς ἄδου κατίβασις, ut apud SVIDAM quoque legimus, id quod Romani imitantur, cum aiunt perbelle, ad Veneris, ante Castoris, scilicet aedes. Elegans est inscriptio ex marmore in terra effosso, apud GRONOIVM, quae testatur itidem, quod philosophi mensae aegyptiae fuerint alumni, ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ ΠΑΓΚΡΑΤΙΑСТНН ΠΕΡΙΟДОНЕИКНН ΝΕΩΚΟΡΟΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝ ΤΩΙ ΜΟΤΣΕΙΩΙ ΣΙΤΟΥΜΕΝΩΝ ΑΤΕΔΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ, Asclepiadi Alexandrino Pancratiae Periodonicae Neocoro Magni Sarapidis, et qui in Museo aluntur, immunium Philosophorum. Alexandria, urbs musarum florens celebritate, opibus, atque literis, per mille prope modum annos, felix ter et amplius, totum in terrarum orbem, examina sapientum emisit, nec prius literarum amisit memoriam, quam barbaries muhamedica Saracenorum, sub CONSTANTE

TE

TE HERACLII FILIO, circa annum CHRISTI sexcentesimum et quinquagesimum, Aegyptum inundauit. SVETONIVS in uita refert CLAVDII, hunc imperatorem ueteri museo alterum addidisse, *Claudium* uocatum, atque sanciuissime legibus, ut libri historiarum, quas graece scripsérat, τυρρινῶν et οἰαζχηδονικῶν, diebus statutis, uelut in auditorio, ab singulis per uices recitarentur, cuius musei mentionem facit ATHENAEVS. Constantinopoli, ad imitationem alexandrinae mensae, tale fuisse museum, philadelphium, itidem GRONOVIUS, ex graeco poeta, adserit. Athenis, et plerisque in ciuitatibus Graeciae, in laude positis magna, prytanea prodire in lucem, et conspectum quasi exterorum, consueuerant, quippe hic uiris honoratis, et de re publica optime meritis, uictus praebebatur quotidianus, quos in ritus commentatus est ESCHENBACHIVS in *Symposis Sapientum*. Atque sic eruditii antiquitus, et regibus, et heroibus, et populo, erant in deliciis et amore, digni proinde, quibus, beneficiorum multitudine, latifimus, ulteriorem ad gloriam, celebritatemque aperiretur campus.

Vberrimos Antiquitatum fructus nulla dicendo lingua adsequitur. Spatiū ac tempus eosdem percensendi, multitudo argumenti, rerumque dicendarum copia nos omnino uincit, humanaisque uires longe superat. Ne autem, hoc ex loco illustri, ad VOS dicturus, plane tacuisse

IN R. C. H. DE BERGER.

D uidear,

uidear, ne longe excurrat oratio, ne exspatietur,
paucis me expediendum censeo. Initium a *Philosophia* ducere, mihi uisum est. Antequam uero
sententiae, quibus insistere hactenus uoluppe fuit,
longe per animos, lateque se diffundant, pera-
mice atque humaniter pluribus VOS, CIVES
VENERANDI, moneo, ne, cum uidetis hinc
inde ab *Aristotelicis Philosophis*, multisque *Phi-
lologis* tantisper dissentientem, me inter sapien-
tiae, bonarumque artium hostes relinquendum
uel iudicetis, uel, mentem me ueterum cum illis,
quibus Graecia mansit hactenus inaccessa, non
satis imbibisse, aestimetis. Quam enim utrumque
illud studium, obtestor VOS, mihi fertur in oculis,
quam ipse uires ingenii, cogitationes, men-
tem denique omnem ueram in *Philosophiam* pro-
fundere, mihi summa in gloria duco, quam soli-
ditas maiorum mihi est in deliciis. Illos hanc
in rem testes cito, qui me tam de facie, quam
ex scriptis, quae, quam breuiter per subsidia et
tempus fieri potuit, in lucem emisi, intimius norunt.
Sed enim, ne multus sim, grauis atque intolerabili-
s multorum, praesertim *Pontificiorum*, arro-
gantia, ingenuus fateor, illos, qui rem solide sci-
unt, omnino male habet. In *Aristotelis* recen-
seri uolunt sectatoribus, cum tamen ipsi *Aristotelem*
intus et in cute nunquam habuerint cognitum
atque perspectum. Ontologiam, quam, sicut
huius rei Metaphysica mea ocularis erit testis,
medullitus amo, *existentiam ueritatis* omni-
bus

bus ferme uoluminum paginis crepant, ipsumque adeo *Aristotelem* huius adpellandi rationis originem dedisse, ullo sine fundamento, arbitrantur, quin nescio, quo superbiae fastu inflammati, alios, qui, melius edocti, secus sentiunt, eruditorum, numero lubentius uellent exclusos, quamquam, si dicendum, quod res est, *Aristoteles*, sua ipsius memoria, illud nunquam cogitauerit. Namque *Philosophus*, quem summum ac principem uocant *Scholaſtici* ac *Pontificii*, in libro περὶ τῶν *πριτίνα* de *Ente* omnium *perfectissimo*, Deo, non de *Ente* in *communi*, uti fert *Metaphysicis* loquendi mos, fabulatur, et *Theologiam* pereleganti notione, ἀξιοτονικωτάτην, sapientiam principem et excellentissimam adpellat, ab *Ontologia* toto coelo discedentem. Ac proinde singuli, quibus, Veterum mentem adcuratius nosse, nunquam contigit, ex *Scholaſticiis*, *Pontificiis*, *Mendoza*, *Fonseca*, *Itzquirdone*, aliis huiusmodi hominibus barbaris, opiniones, fontibus Graecis minime inspectis, congerunt, ac inani principatus gloria, ex ignorantia, *Academico Doctori* indignissima, ducuntur. Quod si aliquam saltem, perlustrandis in veterum monumentis, posuissent operam, tot sane erroribus implicati nunquam fuissent illi, qui sibi soli sapere uidentur, aliorumque fortunam labefactare, omnibus et animi et corporis uiribus intendunt. Πολὺ Θεότητα, ut *Iustinus* ait *Martyr*, *animo et cogitatione comprehendere*, cum nesciant graece, non

ualeant, sed sapientibus adfingunt opiniones, quae anriquitus nemini sane in mentem uenerant. Persuasum est plerisque ex traditione, quae toto terrarum orbe perstrepuit, per animos hominum peruersit, uelut in uenis et medullis insidet, *Chaldaeos, Assyrios, Persas* lucem, ignem, solem pro summo Ente, siue Deo, ultima iam inde hominum memoria, habuisse, uetustissimas populorum duos statuisse Deos, unum bonum *Assyriis Adramelech, Persis*, auctore *Zoroastro*, Orimades, *Indis Tamerani, Romanis Jupiter, priscis Germanis Belboch*, albus DEVS, *Ægyptiis Osiris dictum*, cuius uxor apud *Ægyptios Isis, Graecos Rhea, Pbrygios Cybele, Berecynthe, Assyrios Atargate, Romanos Ops, siue Opis, Ceres, Vesta, tellus, antiquos Frisios, Cimbros, Saxones Fosta, Herthe, Erte, siue Erde*, communis Deorum mater; alterum malum *Assyriis Anamelech, Ægyptiis Typhonem, Persis Arimanium, Graecis et Romanis Plutonem, Indis Deumo, Visli Pousli, Gaucas, priscis Germanis Zornboch*, DEVS ater, appellatum. *Ipsos praeterea Platonem et Pythagoram* hanc in sententiam iuisse, ueteres cum primis *Stoicos ολην αιδον*, aeternam materiam, *Thaletem* mentem et aquam uenditasse pro Diis, acriter contendunt. Verum enim uero *Ethnicorum Sapientes* unam Dei infinitam essentiam statuisse, non ignem et solem, sed *DEVM mediate in igne atque sole*, ut cum *Theologis* loquar, adorare uoluisse, praesertim ubi Deus lux aeterna igne sae-

pius

pius se manifestare sueuisset, ex monumentis veterum satis clare innotescit. Huic Enti summo subiungebant deinceps antiqui, quemadmodum in Graecia memoria est proditum, Deos minores, ex heroum et sapientum coronis, rerum ob gestarum excellentiam, diuinitatemque ingenii inter Deos relatos, qualis mos *Romanis Papicolis* hodie non uenit in desuetudinem, quanquam, quod non dissimulamus, hanc ob idolatriae speciem iustitia diuina maximas in Ethnicos poenas omnino statuit. Terra *symbolice* mater Deorum, id est, heroum et sapientum, quos in Deorum ordines collocauerant, notanter fuit dicta. *Thales* per mentem animam mundi, per aquam elementum intelligit, ut alia praetermittam, quae priscorum fabulis insignem ex antiquitate adserunt lucem, Graecorum libri, qui res antiquorum gestas commemorant, et ueteres, qui eruditonem detulisse Romam leguntur, omnibus atque singulis, quos inter peregrinantur antiquitates, prorsus sunt inaccessi. Taceo miras *Grammaticorum* difficultates, quibus si priscorum dialectis fuissent asuefacti, facile potuissent se explicare. Si antiquorum intellexissent loquendi rationes, si animaduertissent, *praesentibus* saltim, diuersas iuxta dialectos, syllabas, nouasque annexas fuissent terminationes, nulla prorsus anomala, quae plane quibusdam reiiciuntur recentioribus, graeca in literatura posuissent. Si perspecta, cognitaque fuisset ipsis Atticorum, atque aliarum gentium

dicendi ratio, tot *praepositionibus* significatus non adfinxissent, si notassent, antiquis ex iurandi phrasibus, ellipses utpote πρὸς τῷ δίος, *ad sine*, *per Iouis scil. ARAM*, πρὸς Genitium, ut alias hic uoculas silentio praeteream, asciscere, statuissent nunquam. Non attingo in Hebraea Philologia et Sacra Critica ellipseos multitudinem, quam praeter rem et necessitatem omnino permulti singunt, quibus antiquae formulae nunquam innotuere. Mitto pleonasmos, quibus, cum in ueteri instrumento nihil frustra sit positum, accuratiores Critici non subscribunt. Sino enallagen, commune, uti nostra memoria uocat magni nominis Theologus, asylum ignorantiae, nec reliqua commemoro, quae per antiquam Criticam, dictionesque ueterum nobis enotescunt, sed eorum opinionem, qui characteribus hebraeis uel offenduntur, uel nimium eorundem delectantur figura, aut nescio quae collitescentia illic mysteria exsugunt, eo minus praetereo, quo plus periculi mihi exinde metuendum uidetur, praesertim cum significatus ille hieroglyphicus, in *Cabbalistarum* scholis enatus, per tot secula Christianis incognitus, nec *Apostolis*, nec ipsi *Seruatori* unquam fuerit in usu. Qui igitur omnes sensus, neruos omnes hebraeas ad antiquitates intendunt a teneris, eiusmodi *Philologis*, tum *Casaubono*, *Conringio*, *Clerico*, uiris perfecte planeque doctis, in faciem obloquuntur, omnemque characterem et uulgarem biblicum, et *Talmudico-*

Rabbi-

Rabbinicum, et Iudeo-Germanensem, addo et reliquum in MStis, in se unum, eundemque, quae ductus saltē accidentales, et linea menta quae-dam, ut in scholis loqui amamus, extraessentia lia, ab se inuicem differre, atque ueras Hebraeorum literas, qua essentiam spectatas, superesse ho die, solidis ex argumentis demonstrant. Nulla ueterum lex olim lata absque antiquitatum usu rite poterat intelligi. Consuetudines inter homines usu receptas plerasque ab Hebreis duxisse originem, Graecis inueterauisse, ab Romanis ad nostrates uenisse maiores, iam dicendi quidem erat locus, sed plurima hoc ab utilissimo instituto impedimenta nos auocant. In amplissimos, florentissimosque laudum inuitaremur campos, si uberrimorum, qui antiquis ex ritibus resultant reliquias in eruditionis partes, fructuum in illu strandis tam V. quam N. instrumenti commati bus, memoriam renouare intenderemus, et, ubi tacere monet temporis ratio, silentio cogimur praeterire, quae ad Vos amplius, dicere prius erat constitutum. Baptismum initiationis apud Hebreos sacramentum, ex Ezechielis capite sexto decimo non adseruissent multi, si, sub locationis, unctionis, uestium nuptialium adlicationis, coronae ipsius imagine, atque sic sub hebreae sponsae, quam idcirco כלה, omnibus ueluti numeris perfectam, ueteres uocare sueuerant, elegantissima similitudine, spiritualis, coelestisque sponsae felicitatem, ac proinde totum iustificationis, renouationis, saluationis negotium, per-

belle adumbrari, antiquitatibus in subsidium uocatis, ex germanis Veterum monumentis satis cognouissent. Seruatorem generis humani λόγον fuisse appellatum, non quod *Plato* et *Pythagoras* interpretibus, interpretes *Philoni*, *Philo Ioanni Evangelistae* homen dederit illud, sed quod ultimis iam temporibus nulla elegantior, nulla concinnior, nulla uox conuenientior antiquis fuerit inventa, qua amor Christi erga nos diuinus plenius exscribi, perfectiusque exprimi potuerit, plurimis ex Scripturae commatibus et priscorum uoluminibus contra doctissimum *Clericum* et alios adstrui posset, nisi humanitate Vestra, in qua uerborum multitudine non existemus graues, et dissertatione MAGNIFICI, EXCELLÉNTISSIMIQUE WERNHERI, quem omni pietatis affectu reueremur, atque sancte colimus, hoc ex loco reuocaremur. Interim sua manet antiquitatis studio, satis amplio et perhonorifico, laus, quam nulla dicendo lingua adsequebatur, quam omnes aequi rerum censores in sinu atque oculis habent, quam nemo facile, cui solidam itur ad eruditionem, occultam, tacitamque relinquit, quam denique in *Leucori nostra*, quae, a prima inde origine, orbem impleuit gloria et ingentem emisit effuditque eruditorum copiam, antiquitatum interpretibus sagacissimis semper adfluentissima, *Schindleri*, *Schmidii*, *Ostermanni*, *Stolbergii*, *Dassouii*, et quorum honorifica mentio primum erat facienda, *Schurzfleischii* et *BERGERI*, com-

memo-

memorabilia solidae laudis exempla , doctrinae uoluminibus rarissimae ac exquisitissimae , semper iternam in Academiae gloriam , memoriamque ipsis astris terminarunt. Haec antiquatum praestantia , quae non exigua erat, inuitauit principes atque mecaenates summis in honorum fastigiis eluentes , ipsosque AVGVSTOS NOSTROS AVGVSTISSIMOS et SAXONIAE PROCERES MVNIFICENTISSLIMOS permouit, flexaque adeo , ut , ipsas Antiquitates publice introducere , meque hoc publico munere primum ornare clementissime ac benigniter constituerint , quam regiam benignitatem et magnatum prolixam in me uoluntatem humillima et submissa mentis deuotione , agnosco , reuereor , sancte collo , regiam DOMVI SAXONICAE felicitatem , exoptatissimam MAGNATIBVS fortunam adprecatus. DEVS autem , qui me , praeter meam ipsius expectationem , ac praeter spem dissentientium ac hostium meorum in cathedralm constituit academicam , atque post tot difficultates tempestatesque , feliciter DIVINI NVMINIS gratia superatas , publico munere tandem iudicauit dignum , labores meos omnes , in posterum suscipiendos , faustos semper atque fortunatos esse iubeat , quo diuino innixus in auxilio hodie munus Academicum a SERENISSIMO PRINCIPE mihi clementissime concessum auspicabor , et universam Scripturam S. initio tamen a Psalmis Dauidis

uidis et utraque *D. Pauli ad Timotheum* epistola ducto, ex Antiquitatibus et Philologia hora hodie VI uestpertina in Auditorio Philosophico examinare incipiam, quas ad lectiones publicas benevolē audiendas omnes antiquitatum et Philologiae aestimatores decenter et perhumaniter hac de cathedra inuitandos duxi. Nihil restabat, quam ut, huic inclytæ Academiae omnibusque ipsius doctoribus celeberrimis diuinam gratiam appreca-tus, Vobis, Auditores honoratissimi, pro auscul-tandi uestra opera animum contestere pientissimum, gratissimumque. Ne autem ingratus hoc ex loco abiisse uidear, Praeceptorum honorificam facere mentionem, ipsa iussit me pietas. Verum cum ipsorum merita laudes omnes longissime super-grediantur, nihil amplius dicam, quam ut *Wernsdorffis*, *Chladeniis*, *Schroederis*, *Klausingiis*, *Ianis*, *Wernheris*, *Speneris*, *Kraufsiis*, *Vateris*, *Heu-cheris*, *Wichmanshausenii*, *Bergeris*, *Loesche-ris*, uiris de Ecclesia et Republica immorta-liter meritis, decentissimas habeam, pro fidelissima informatione, ianumeris que beneficiis aliis, gratias. Deumque enixissime rogem, uelit Viros hos, Germaniae ornamenta, una cum splendidissimis familiis, omnibus fortunis ex-optatissimis adfluentes. Me autem ipso-rum patrocinio ac fauori commen-do. Dixi.

*** Etiam

* * *

Etiam num pergit I^Ctus Excellentissimus,
DN. IOH. BALTHAS. WERNHERVS, uir ornando iuri natus, Observations
 Selectas Forenses, publico bono expromere, da-
 taque occasione, emittere in lucem. In quibus
 quidem, ut a communibus pragmaticorum op-
 nionibus non raro recedit; ita eorum argumen-
 tandi rationes pro more, hoc est luculenter ac
 solide discutit ac refellit. Cumque praeterea
 id perpetuo agat Vir celebratissimus, ut, missis
 otiosis ac inutilibus, non nisi eiusmodi tractet
 quaestiones, quae, quotidie in foro obviae, in
 ipsis rerum argumentis obtinuerunt: non possunt
 illae non esse gratissimae, in primis, cum et re-
 sponsis ordinis sui, rebusque iudicatis eas sub-
 inde illustret atque confirmet. Idem praestitit in
 dissertatione, Die XIII. Maii, An. MDCCXXIII.
 Ipso Praefide, publice habita, quam **DN. M.**
IVSTVS GEORGIVS CHLADE-
NIVS respondendo propugnauit. Rubrum
Selectas Observations forenses uarii argumenti
pollicetur. Literis Viduae Gerdesiae.

Ipsa dissertatio, III. plagg. constans, decade una
 observationum forensium absolvitur, quarum sum-
 mam L. B. hic exhibemus: Observatio I. In Syn-
 dicatus instrumento divisionis beneficio inuti-
 liter renunciatur, et si uniuersitas actoris partes
 sustineat, neque bona communia possideat, con-
 tra

tra Carpz. P. 1. C. 5. d. 29. et proc. tit. 9. art. 5. n. 53. item Berlich. Schwendendoerferum, Beyermann, Riuinum aliosque in ipsa dissert. citatos. Obseruatio II. Excussionis beneficio incongrue in Syndicatus instrumento renunciatur contra pragmaticos, speciatim Martin. in Anal. ad O. P. S. t. 13. §. 1. num. 84. Obseruatio III. Vidua fororum suum priuilegium apud Saxones, etiam coram curia Electorali fortitur. Aduersus Ill. Bergerum in Oecon. Iur. p. 940. Obseruatio IV. Tutor ad iuramentum diffissionis pro pupillo praestandum cogi nequit. Contra Berlich. P. 2. Dec. 164. n. 14. Carpz. P. 3. Dec. 230. et proc. tit. 12. a. 5. n. 36. sqq. aliosque ibi citat. Obseruatio V. Ad ualiditatem arresti sufficit, quod quis eo tempore, quo illud alieno nomine imposuit, mandatum habuerit, et si actu illud haud produxerit. Obseruatio VI. Quando diffamator, intra terminum praefinitum, diffamationis probationem deserit, perpetuum ipsi silentium imponitur, et si non expresse, sub hac poena, probatio eidem iniuncta fuerit. Contra Carpz. P. 3. Dec. 213. n. 20. sqq. Schwendendorffserum ad Proc. Fibig. p. 1574. aliosque. Obseruatio VII. Qui seruitutem Luminum alteri debet, eius lumenibus officere non simpliciter prohibetur, aduersus Dn. Thomas. ad Strauch. Diss. 7. th. 15. alios. Obseruatio VIII. Etiam in Saxonia Electorali poena duplicati adulterii capitalis, propter coniugis intercessionem, cessat, quando quis

primo

primo ut solutus , deinde , ut coniugatus cum aliena uxore rem habuit. Contra Carpz. Pr. Crim. P. 2. Quaest. 57. n. 59. Obseruatio IX. Procurator, cuius mandato facultas Leuterationem uel appellationem interponendi , inserta haud est , eandem prosequi , uel iustificare nequit , nisi speciale mandatum producat. Contra Zieglerum in Them. 50. dispp. Ecclog. for. 17. Obseruatio X. Thermae in fundo enatae , ad eius proprietarium pertinent. Quibus pro dignitate excussis dissertationi finis inponitur , cui denique elegans admodum ad Dn. Respondentem epistola gratulatoria subiuncta est.

* * *

Die XIV. Maii Dissertationem epistolarem,
Viro Summe Venerabili atque Magnifico, Domino IOANNI CHRISTIANO BVCKIO, SS. Theol. Doctori
Celeberrimo, Potentissimi Poloniarum
Regis ac Electoris Saxoniae Summo
Aulae Concionatori, Confiliario Ecclastico, et Proto-Synedrii Adseffori
Grauissimo amplissimos summi muneric successus apprecentem, et, de Camerario, Lutero nihil detrahente, exponentem, transdidit
M. IOANNES ABRAHAMVS
VVIMMERVS, Alten-Moerbicens.
Misn. Minist. Candid. cuius hic habebis copiam.

VIR

VIR SVM ME REVERENDE
ATQVE MAGNIFICE, DO-
MINE, AC PATRONE SVM-
MOPERE COLENDE,

Multos inter alios, eosdemque ce-
lebriores Caluinianorum doctores, IO-
ANNEM HOORNBEKIVM, Virum
alias non plane contemnendum, nun-
quam, fateor, satis demirari soleo, siqui-
dem iudicium adeo praeceps de B. no-
stro *Luther*o tulit, ut, per omnia, Zuin-
grium suum ipsi praeferre ausus fuerit.
Summa eius *Controuersiarum*, hic cumpri-
mis nominanda, ita quidem adornata
est, ut, sicubi nobiscum arma iungit,
non inutilem contra aduersarios, eos-
demque communes, operam exhibeat,
coetui uero puriori repugnans, multa in
partem peiorem trahat, iniquiora subin-
de consilia suppeditet (*), et MARTI-

NVM

(*) Sic u. g. hanc *cum Lutheranis disputandi me-*
thodum p. m. 729. sq. praecepit: Et hoc pro-
be obseruandum, ut sententiam suam, quam
bodie (quasi a ueritate discesserimus) tenent

Aduer-

NVM
quasi
denta
binio
glo a
ii, co
differe
pendi
uerb
mor
D10
sider
THE
sed in
dem
asserr
sibi u

Ad
ber
et
age
sen
Ang
tuo
(*) In s
P. m. 6

NVM denique LVTHERVM, uirtutibus,
 quas ipse agnoscit, plane singularibus gau-
 dentem, immoderatum dictitet atque am-
 bitiosum. De *Carolo studio* scilicet, *Zuin-*
glio atque *Luther*, neutri horum ceden-
 ti, copiosius, neque tamen accuratius,
 differuerat hactenus, nunc, ut in com-
 pendio exhiberet omnia, haec tandem
 uerba, sui, quod putemus, plane imme-
 mor, subnectit : *In CAROLO STA-*
DIO forte baud immerito maiorem de-
 sideres prudentiam et constantiam; *in LV-*
THERO moderationem et humilitatem;
sed in ZVINGLIO quid carpas, baud equi-
 dem scio (*). Quam argute etiam omnia
 assertionis suae membra hic concepisse
 sibi uisus fuerit, nemo tamen non facile
 per-

Aduersarii, non solum conentur nobis pro-
 bare ueram, sed illam quoque esse *Lutheri*
et Confessionis Augustanae: Contra nobis id
 agendum, ut in omnibus ostendamus con-
 sensum doctrinae nostrae cum Lutheru*et*
Augustana Confessione, uel quomodo se mu-
 tuo tolerarint olim dissidentes.

(*) In *Summa*, iam adducta, *Controversiarum*,
 p. m. 617.

perspicit, quod tria definiendo, ter sibi, uel saepius, ipsi fuerit aduersatus. Quomodo enim, et quo iure *fanaticarum lux et dux ille opinionum*, CAROLOSTADIVS (*), per omnia, quod tamen suscepereat in se, defendi potuit unquam, si ex ipsius quoque confessione, adhibendam non omnino adhibuit prudentiam atque constantiam? Et in quo, quaeso, negotio eius desiderat constantiam? an circa scripturae inscitiam, qua, a primis iam annis (**), laborauit? an circa Zuinglianis-
mum,

(*) De quo conferatur praecipue elegantissima SIRICII *Exercitatio*, Giessae A. 1662. habita, apud Vener. Dn. D. GOETZIVM, in *Elogiis Germanorum quorundam Theologorum Seculi XVI. et XVII.* p. 185. sqq. Add. post IOH. BISMARCVM *de praecipuis Theologis, Reformatribus, L. I. Or. VII.* BALTH. MENTZII *Stambuck*, lit. F.

(**) Hinc LVTHERVS: *Die Bibel war im Pabstthum denen Leuthen unbekannt. D. Carlstadt fing erst im achten Jahr an, nach dem er war Doctor worden, die Bibel zu lesen. etc.* In Tisch- Reden, C. I. p. 6. et Celeb. HERM. von der HARDT: *Doctor Andreas Carlstadt, Theo-*

nismum, quem deinceps propagandum statuit? an circa Fanaticismum, in quem miser homo tandem fuit prolapsus? Quomodo, inquam, LVTHERVIS, murus ille abeneus (*), sine insigni diuinioris disci-

IN R. C. H. DE BERGER.

E plinae

Theologiae Professor zu Wittenberg, ein selbiger Zeit in Scholasticis sehr gelehrter Mann, hat selbst gestanden, daß er schon viel Jahre Doctor und Professor Theologiae, die Bibel nicht gelesen. Da-her, wie Lutherus Anno 1517. 1518. die Bibel den Leutben recht in die Hände gab, er frey gespro-chen: Luther hat viel vor mir voraus, der die Bi-bel ehe gelesen, als ich. In Serm. ad Ps. CXXXVI.

(*) Desumta haec denominandi ratio ex Ierem. Cap. I. c. 18. coll. cum Cap. XV. c. 20. ubi ad locum priorem: *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum super omnem terram etc.* sic commentatus est B. IOACH. FELLERVS: *Quae uerba, quam pulchre, quamque conuenienter adaptari LVTHERO queant, nae coecus sit, quin uideat.* Nam et LVTHE-RVS unus cum praepotenti illo Monarcharum omnium (qualem se Papa uenditat) Monarcha, unus cum uniuersa Romanorum Pon-tificum clientela, unus cum toto propemo-dum mundo congressus est, solo fretus DEI praeſidio, ac solius Scripturae gladio arma-tus;

plinae atque ueritatis discrimine , erga hominem illum , imprudenter turbidum , moderatior , quam fuit , esse potuit atque humilior , qui ipsi tandem *Caroloftadio ELECTOREM* placauit (*), et aliis , post DEVVM honorandis , modestiam suam ab unde comprobauit (**)? Quomodo demum *Hoornbeekius* nostros , LVTHERVUM , communem sui omnium Parentem honorantes , idololatriae paulo ante poterat incusare (***) , cum tamen , temerario prorsus ausu , ipse scribat deinceps : *Sed IN ZVINGLIO QVID CARPAS, HAVD E QVIDEM SCIO?*

Absit,

tus ; nec congressus tantum fuit cum tot hostibus , sed et iniustus contra illos instar munitionis ciuitatis , instar columnae ferreae et muri ahenei persistit . In singulari Programmate , de LVTHERO , altero Ieremia , Lipsiae A. CCIO CLXXVI. proposito , apud *Magnif. Dn. D. BOERNERVM* , in *Acad. Lips. Pietate* . p. 95. et 96.

(*) Vid. MATHESII , Sen. Conc. VI. de Luther , p. m. 49. b.

(**) In quo argumento diducendo occupati fuerunt VVISMEIDERI , EDZARDI , Aliique , alibi cumulandi , plures.

(***) Digna , quae hoc referantur , uerba haec sunt :

Absit, ut GODOFR. ARNOLDVM,
Haereticorum omnium, quem dixit MAYE-
 RVS, *Aduocatum ordinarium*, statuamus ar-
 bitrum, qui hoc sibi datum putauit, ut dili-
 genter omnia emendicaret ab aliis, ipseque
 compilaret (*), multa uel aperte peruer-
 teret, et B. cumprimis *Lutheru*, huiusque
 defensoribus, maculam, si quam posset, inu-
 reret. Taceo libellum *de Lutheru ante Lu-*
tberanismum (**), nuperrime recoctum,

E 2

taceo

sunt: Sapienter id quidem Deus ita permisit
 ac moderatus in Lutheru fuit, ut, iuxta vir-
 tutes plane diuinias, etiam communis infirmi-
 tatis proderet lapsus, (iniquissimam uero
 hic confingit arrogantiam) ne hominem se
 ignoraremus, neve, quod caeteroquin ho-
 mines facile committunt, et a quo ne hic
 quidem immunes aliqui fuerunt, IDOLVM ex
 eo faceremus, quem ad tantum opus Deus
 adhibebat; etc. l.c. p. m. 615.

(*) Conf. *Anonymi Vnparth. Biblioth. Parte I*
 p. 74. sq.

(**) Vid. *Summe Vener. Dn. D. VAL. ERN.*
LOESCHERI, PATRONI mei ad cineres us-
 que maximopere Deuenerandi, *Vnsch. Nachr.*
 A. 1706. p. cumprimis 632. nec non A. 1707.

p. 570.

taceo, inquam, librum, de *Vitis Credentium*,

p. 570. sqq. Add. Dn. D. ALB. IOACH. DE KRAKEVITZ *Examen nouae hypotheseos de Luther ante Lutheranismum*, i.e. Luther, prioribus tantum Reformationis temporibus antiquissimae ueritatis Euangelicae assertore, Ier. Heracl. Christiano, et God. Arnoldo oppositum, Rost. et Lips. 1718. 4. §§. maxime secundo et tertio, ubi pluribus ostenditur, Arnoldum schedas, a B. P. Carlio acceptas, aut edidisse, aut saltem souisse. Nec non B. BOT-SACCI *manipulus oppositionum, aduersus Praefationem auctoris, Lutheri ante Lutheranismum*, circa finem *Thesum de Clauibus Petri conspiendus*, Hafn. 1707. 4. Sic uero incipit §. I. Scriptum, cui titulus, Lutherus ante Lutheranismum, est in B. Lutheri manes maxime injurium, puriori Euangelicae Religioni ignominiosum, S. Scripturae et Augustanae Confessioni grauiter inimicum, multis Fanaticorum, Socinianorum, Anabaptistarum, Papistarum, Calvinianorum erroribus refertum, per cuius renouatam editionem, a Regia Maiestate suo merito damnatam, nonnulli uelut sorices seipso prodiderunt. Et §. 21. pergit: Vix alias, quam ipse Arnoldus, iactauerit, die unpartheyische Kirchen-Historie. Cur non addebat, *meine?* ne agnosceretur scilicet prae-
fationis

tium exponentem (*), infastam eius *Haereseologiam*, probationis loco, adduxisse sufficiat, in qua taxanda, uel prorsus reiicienda, aequi rerum et historiarum iudices, in uniuersum omnes, fuerunt occupati (**). THOMASIVM audiamus ipsum, pollicem ei alias prementem, ubi dicit: *Libros haud genuinos subinde pro genuinis uenditat, et fabulas, quandoque etiam crassiores, ac miracula supposititia commendat, quoties uidelicet sermo est de negotio, Theologiae mysticae fauente, VTPOTE CVI NIMIS AD-DICTVS FVIT ARNOLDVS* (***)**.** Et

E 3

hinc

fationis huius et pestilentissimae Historiae unus idemque Auctor. Et tamen agnitus est, quod aiunt, ex confessione Compilatoris, Carlii. Si uero haec relatio fallit, mulus mulum scabit.

(*) Legatur celebratus modo THEOLOGVS, libro iam adducto, A. 1701. p. m. 407. sqq.

(**) Id probe obseruante *Anonymo*, in *Vnp. Bibl. P. I. VII. IIIX. et IX. p. 68. 631. 690. et 792.* sqq.

(***) In *Cautel, circa Histor. Eccles.* Cap. III. §. 41. p. 32.

hinc illae lacrymae! falsae hinc errorum atque uitiorum insimulationes, quibus totum saluberrimae Reformationis opus suspectum reddere, et *Lutherum ipsum*, quem secus, ac per Christum ille roga- uerat (*), non ex ultimis, sed primis eius scriptis iudicauerat, Virum deterio- ratum, carnalem nempe, litigiosum et impium tradere non erubuit. Hinc ne quidem passus fuit unquam, ut decens, ipsi exhiberetur honor, quin potius *Hoorn-*
beekio.

(*) Praecipua Eius uerba haec sunt: *Für allen Dingen bitte ich den Christlichen Leser, und bitte ihn um unsers Herrn Jesu Christi Willen, daß er meine ersten Bücher ganz bedächtlich, auch mit grossen Mitleiden wolle lesen, und wissen, daß ich vor dieser Zeit auch ein Münch, und der rechten unsinnigen rasenden Papisten einer gewesen bin, etc.* Tom. I. Altenb. pag. 9. Cui addatur: Tomus I. Ien. Germ. f. 2. *Du wirst, Christlicher Leser, in meinen ersten Schriften und Büchern finden, wie viel Articul ich dem Papst damahlen mit grosser Demutb. nachgelassen und eingeräumet habe, welche ich hernachmahls doch für die schrecklichsten Gottestäufferungen und Greuel gehalten und verdammt habe, und in Ewigkeit halten und verdammen will.*

beekio lubens accesserit, et idololatricum,
hunc pietatis cultum pronuntiaherit (*).
Omne, quod putabat inuenisse, praesidium collocat in magno illo Germaniae ornamendo, IOACH. CAMERARIO, Pabepergensi, de Philippo ubi exponit, sic inter alia loquente: Qui quidem Martini Lutheri auctoritatem et nomen ita celebrant, ut supra conditionem et modum generis humani non dubitent extollere, iis uidendum, ne praestantissimi atque summi uiri bonam existimationem, tribuendo nimium, diminuere, et suae audaciae ab illa excellentia praesidium quaerere uideantur (**). Haec autem uerba,

E 4

sobrie

(*) *Haeres. P. II. L. XVI. C. V. pag. 47.* Maxime uero haec eius uerba notari merentur: Gewisslich, da Camerarius schon kurtz nach Lutheri Tode diese SVBTILE ABGOETTEREY unter einigen gemercket, was sollte nicht hernach geschehen seyn, da das Menschen-Ansehen und Sectirische Wesen ALLES VBERSCHWEMMET bat. l. c. p. 47. b.

(**) In Narratione diligenti et accurata de Phil. Melanchthonis ortu, totius vitae curiculo et morte, no. LXVII. p. m. 241. edit. Lips. 1696.

sobrie intellecta, *Luther*o et eius existimationi nihil unquam detrahere, multo minus *Arnold*o, ipsique adhaerentibus ulla ratione, ad causam tam malam, patrocinari, ex praecipuis, quas nunc recensebo, circumstantiis patebit.

Animus hic non est, *Camerarii Vitam*, a FREYHVBIO cumprimis (*), ADAMI, FREHERO, CLARMVND, REIMANNO, et *Aliis* sufficienter descriptam, reperere, neque tamen omnia, uel praecipua, silere, ratio permittit instituti. Natus autem est mense, quo decepsit, Aprili, A. R. S. supra millesimum quingentesimo, ita, ut eius aetas florida in media Reformationis auspiciatissimae tempora inciderit, et in eo idoneum testem multarum, eo tempore rerum gestarum, deprehendamus. Patriam agnouit perue-

tustam

(*) Fons et origo omnis descriptionis non immrito putatur elegans ac rara ANDR. FREYHVBII, SS. Theol. Doct. *Oratio, in Funere Reuerendi et Clarissimi Viri Domini IOACHIMI CAMERARII Pabebergensis utriusque linguae in Academia Lipsica excellentissimi Professoris, XIX. D. Aprilis in aede collegii Paulini Lipsiae habita. Exc. ib. 1574. in 4. pl. 3 $\frac{1}{2}$.*

tustam illam atque celeberrimam Franciae Orientalis urbem *Babebergam*, seu *Bambergam*, de cuius nomine, multis ignorato, coniecturam, non prorsus omittendam, dedit DRESSERVS (*). Maiores habuit amplissimos, quorum antiquitatē pariter atque dignitatem eximiam *Camerariorum* (**) testatur insigne, cornicantes tres ostendens cornices, hoc, uel in diplomatibus, adiecto lemmate:

CAMERMAISTER. ZV. B. amberg
(***) IOANNEM, Patricium, *Ioachimi*
ipsum quod concernit *Parentem*, fortunae
fuit nequaquam contemnenda, qui fi-
E 5 lium,

E 5 lithium.

(*) *De praecipuis Germaniae Vrbibus*, p. m. 137.
sq. ubi sic uerba fluunt: BAMBERGA, quasi
Babae mons, ad Pegneshum fluuum sita, a
conditrice, quae fuit filia Othonis, Saxoniae
ducis, Albertique comitis uxor, nomen ad-
epta putatur.

(**) *Camerarios* autem ante Seculum XI. alio dictos fuisse nomine, LIEBHARDTIOS, obseruauit ADAMI, in *Vitis* p. 120.

(**) Conf. B. IVNCKERVS, im G. und S.
Ebren-Gedächtniß Lutheri, p. 140. ubi in-
ter

lium, ad omnem liberalis scientiae cognitionem aptum, cum publice, tum priuatim diligenter curauit erudiri. Annū uix compleuerat tertium et decimum, ubi a *matre* sua, MARTHA, natu *Wecelia*, Lipsiam deportatus, curae atque disciplinae M^r GEORGⁱ HELTI, patria *Forchemii*, fuit commissus. Hoc autem duce, quo et GEORGIVS, *Illusterrimus Princeps Anhaltinus*, usus fuit auctore (*), multum

ter uaria HEL. EOBANI lemmata, quibus eruditorum sui temporis insignia ornauerat, et hoc reperitur :

*Cornix Cecropiae Diuae olim grata uolucris,
Dic age, cur signum nunc, IOACHIME,
tuum est?*

hac addita uersione:

*Der Weisheit Göttin war die Krähe lieb und
werth,*

*Wie hastu sie denn nun zu deinem Bild be-
gebrt?*

(*) Sic enim FREYHVBIVS: *Celebratus Princeps ad Ioachimum frequenter scribere, ad mutua colloquia atque conuersationes amicissimas clementer ipsum euocare, et, quod sub uno*

Prae-

tum ipsis laudato (*), sic in omni, tum
pietatis

Praeceptore, M. *Heltō*, didicissent, etiam *condiscipulum suum* nominare solebat. I. c. C. 2.
Fuit autem GEORGIVS, Princeps is, in quo
excellitas generis atque conditionis cum sin-
gulari humanitate coniungeretur; quumque
sapientia atque doctrina excelleret, tanta ta-
men in eo erat modestia, ut parvas etiam res
non facile exequeretur ullas, nisi prius dili-
genter deliberatas, et ad aliquos, de quorum
sapientia atque fide bene existimabat, relatas.

Camer. in Vita Melanchth. p. m. 337.

(*) Camerarius in Epistola de Helti obitu A. 1545.
ad Georgium data: Ago Deo gratias, qui vo-
luerit in *Georg. Helti*, optimi, et sanctissimi,
et doctissimi uiri, disciplinam me tradi, ad
quem deductus a matre mea, foemina nec im-
prudente et pia, atque commendatus illi ut
filius, paterni animi affectionem ita sum in hoc
expertus, ut, si ex ipso natus essem, neque
diligentius me custodire, neque ardentius
diligerē, neque fidelius instituere potuisse uidea-
tur. p. m. 53. Et in ipsa *Georgii Vita*, p. m. 12. --
Non enim *Heltus*, si ipsius filius essem, aut
custodire aetatem meam diligentius, aut tra-
dere praecepta honestatis et bonarum artium
fidelius potuisset.

pietatis (*), tum eruditionis genere profecit, ut eodem adhuc anno Baccalaureatus dignitatem acciperet, et, sermonis nunc latini optime gnarus, IOH· METZLERVM (**), et RICH· CRO-
CVM

(*) Illustri hoc sit exemplo, quod *ex Freyhubio*, uerbis paulo plenioribus, proponam: IOH· TECELIUS, cum et Lipsiae in aedium Paulinarum templo, ubi nunc iacet sepultus, A. 1517. haberet concionem, et huic, una cum Magistro suo, Helto, interesset quoque Camerarius, ac uir pius et doctus impudentissime ab illo iactari audiret: quamprimum in cistam deiectus nummus tinniisset, statim ex profundissimo inferno animas defunctorum euolare; age, ad loachimum, dixit Heltus, hinc examus, non possum enim istius male seriat Monachi impudentissima mendacia et uanillas nugas amplius audiendo tolerare, dictoque citius, secum abire iusso Camerario, templo est egressus, et uerbis, et facto ipso declarans, sibi eiusmodi uanitatem serio dis-
plicere, etc.

(**) De quo, si recte coniectura auguror, ABR· BVCHOLCERVS, in *Indice Chronologico*, ad Annū Christi 1538. sic uerba facit: IOHANNES MEZLERVS, I· V· D· Latine et Grae-

CVM (*), Graecae linguae Professorem peritissimum, anno aetatis decimo sexto, non sine insigni emolumento, accederet praelegentes. Sic et assiduus, post id tempus, multumque felicissimus fuit auditor PETRI MOSELLANI, donec tandem, anno illius seculi decimo octauo in Academiam se conferret Erphordiensem, ubi, graecas docens literas (**), cum

ce Doctissimus, obiit Vratislaviae, d. 2. Octobris, 1538.

(*) Conf. Viri maxime Reu. Dn. M[·] PAVL[·] CHRIST[·] HILSCHERI, Pastoris Palaeo-Dresd. Vigilantissimi Literae, de Meritis W[·] E[·] TENTZELII, ad B[·] CHR[·] IVNCKERVM datae, ubi RICH[·] CROCVS in iis numeratur eruditis, qui uix reliquerunt, unde effarentur.

(**) Testem huius rei fide dignissimum MATTH. habemus DRESSERVM, in Oratione de IOACH. CAMERARIO, A. C. 1574. habita Erphordiae, sic definientem: Receptus autem est a Communitate Philosophica, cum fidem iureiurando adstrinxisset, et aureum dedisset, quem tamen mox illi communitas nostra reddidit, quod elementa literarum Graecarum

cum HELIO EOBANO, *Hesso*, Poëta praestantissimo, ipsique celebrato, uixit coniunctissime, et anno aetatis suae primo et uicesimo Philosophiae Magister, solenni ritu, fuit declaratus. Quo uero PHILIPPI cumprimis, iam ante contracta perfrueretur familiaritate, anno adhuc eodem uenit Wittebergam, et uoto sic fuit potitus, ut ex crebra eius et domestica consuetudine redderetur dignissimus, qui Norimbergae, Tubingae, maxime autem Lipsiae, ad summam usque senectutem, non sine communi omnium applausu (*), utramque, Graecam pariter

carum in collegio docuisset. Deinde uicesimo primo anno cum *septendecim* uiris Magisterii titulum in hoc collegio adeptus est. In Orat. no. XV. p. m. 236. b.

(*) Praeter laudatum modo *Dresserum*, sic uerbi gratia pronuntiantem: *Nihil est in omni genere doctrinae eruditae tam abstrusum, tam reconditum, tamque obscurum, quod ille non diligent meditatione eruerit, aut sua explicatione illustrarit*, p. 226. a. uideatur *Thomas-Pope BLOVNT*, in *Censuris Celebriorum Authorum*, Geneu. M. DCC. X. p. 590. sq. nec non

ter ac Latinam, profiteretur linguam. Neque ingrato Camerarius fuit animo, qui praecipuam in eo posuit curam, ut Praeceptoribus suis, modo recensitis, uegetus placeret atque moribundus. HEL-TVM Parentis instar habuit (*), CRO-CO, natione Britanno, felicitatis suae multum tribuit (**), MOSELLANO, in agone constituto, adstitit, EOBANI uero,
et

non Pl. Reu. Dn. M· I· C· KOCHIVS, in Obs. Misc. T. II. P. XVII. p. 396. quibus hoc unicūm Freybubii, Lips. addo elogium: *quod Scholam Lipsiensem, lateritiam inuentam, marmoream reliquerit.*

(*) In literis ad GEORGIVM, illustrissimum Principem Anhaltinum, datis, Lips. III. Cal. Apr. Anno, Helto emortuali, M· D· XLV· sub finem *Vitae GeorgI*, p. m. 55.

(**) Verba eius haec sunt: Ego, (Lipsia ue-niens Erphordiam) quanquam admodum ad-le-scens, tamen ferebar in oculis, quia audiue-ram RICHARDVM CROCVM, Britannum, qui primus putabatur ita docuisse Graecam linguam in Germania, ut plane perdisce illam posse, et quid momenti ad omnem doctrinae eruditionem atque cultum huius cognitio al-latura esse uideretur, nostri homines sese in-telligere

et cum primis PHILIPPI Vitam, quam potuit, accurate descripsit. Et quid, quae so, requirebatur amplius, quam ut ipsa, qua functus demum fuit, morte, suam nunquam intermorituram testaretur iis pietatem? Dies scilicet agebatur nona supra decimam Aprilis, cum Anno Christi ∞ D XXIII Pet. Mosellanus Lipsiae, et anno eiusdem aerae ∞ DLX Phil. Melanchthon ∞ Wittebergae excederent e suis, nunc, eodem mense et die, fidelis horum et grato usque discipulo, Ioac. Camerario, ultimum deducendi funeris officium A. R. S. ∞ ID LXXIII exhibebatur Lipsiae (*), ita, ut studia cum iis politiora magnam partem sopita, cum hoc uero sepulta quasi conquererentur. Omnium tamen maxime adamauit PHILIPPVM, cuius amicus fuit adeo familiaris, ut Atticus Ciceronis (**). Frequentes loquor,

et

telligere arbitrarentur. in Vita Helii Eobani Hessi, p. m. 4.

(*) Conf. hic prae ceteris Freyhubius, in non laudanda satis de Camerario oratione, D. II.

(**) Vid. PAVL. FREHERVS, Parte IV. de Vitis Philos. Philol. et Historicorum, p. 1468. Hinc et Dressero οινεῖ φίλος καὶ συμφίλος φίλος Philippi audit. l. c. p. 228. a.

et mutuos amplexus, crebriores literas (*), laudes exquisitas, manus ad succur-
rendum nunquam non paratissimas, et
quae sunt alia, addictae ipsi mentis testi-
monia. Quod si ergo cuiquam *Camerar-
ii uerba*, iam supra allata, in *Lutherum*
iniquiora uideantur, in hoc ipso amici-
tiae nexu ueri forsitan similitudinem inue-

IN R. C. H. DE BERGER.

F

niet.

(*) Ipsum audiamus *Camerarium*, in Pröemio
ad Vitam Melanchthonis: Saepe literas mihi
ab eo non aliter, quam fratris nomine inscri-
ptas legerant. Saepe uiderant, quam aman-
ter ipse me coram complecteretur, et de me
absente sermones honorificae in primis men-
tionis audiuerant Amici. Ut et *Freyhubium*, l. c.
Fuisse uero *Philippi* in primis atque *Ioachimi*
propter uoluntatum et studiorum similitudi-
nem minime simulatam aut fucatam, sed ue-
ram et sinceram amicitiae coniunctionem, praeter
infinita alia mutuorum officiorum clara do-
cumenta, perspicue ostendit aureum illud uo-
lumen *Epistolarum*, a *Philippe* ad *Praeceptorem*
nostrum, (sic dicere consueuit *Camerar-
ium*) per multos annos, usque ad alterius mor-
tem, de uariis rebus, pie, sapienter, docte,
grauiter et amicissime scriptarum. Quibus
nec ipsum defuisse *Camerarium*, satis aliunde
constat.

niet. Putare quippe poterat *Camerarius*, amplificata *Lutheri* laude, auctoritatem et gloriam *Melanchthonis* quodammodo imminui, in quo tamen laudando atque depraedicando, omnibusque aliis praeferrendo, cum primis erat occupatus. Accedit nimia eius lenitas (*), ui cuius *Philippus*, ob similitudinem animi, magis, quam *Martino* fauebat, et *Flacianis*, *Lutheri* tantum non per omnia tunc adhaerentibus, mirum, quantum inuidebat

(*) Notatu ualde digna sunt, quae laudatus non dissimulauit DRESSERVS: *Camerarius*, quos poterat, hortabatur, ut ferre, dissimulare, et quasi mussitare aliqua malling, quam distractionis, aut dissipationis causam aliquam præbere. Memini, eum idem consilium ad me etiam perscribere, cum dissensionem aliquam incidisse in hac Academia (Erphordiana) auditione accepisset, suum ipsius adducentem exemplum, quod et ipse *PLVRIMA SOLITVS ESSET DISSIMVLARE* tranquillitatis causa. l.c. p. 233. b. Quem tamen excusatum uoluic haberi, paulo post subiungens: *Non moderatio, non lenitas, non remissio animi, non aequitas, sed religionis et conscientiae uiolatio uituperatur.*

bat (*). Ipsa tamen si respiciamus uerba Camerarii, et huius amorem, quem Lutheru se, cum aliis omnibus, debere, hinc inde est professus, conferamus, apparet, mentem huius, et sententiam innocentem, ab Arnoldi animo fuisse remotissimam.

Placidam scilicet, multis tamen, et potissimum Philippo, ualde luctuosam Lutheri mortem CAMERARIVS, Germaniae suae Phoenix, dixerat. Quemadmodum uero ex arctiore animorum coniunctione luctum illum deriuat, ita nunc subiungit, non tamen omni, quod solius Dei sit, utrumque caruisse culpa. Et Lutherum quae singulatim concernunt, tres hominum quasi classes constituit, ad quarum primam aequos eius aestimatores, secundam

F 2

dam

(*) Assertioni huic fidem faciet *Vita* eius Philippi, No. cumprimis CIV. et CX. p. m. 355. sqq. ubi omnia, odium ipsis conciliantia, conquisiisse uidetur. Hinc et CASP. VLENBERGIVS, Pontif. Camerarium in Philippi numerauit asseclis, quibus se Flaciani uehementer opposuerint. *de Vita et Rebus gestis Ph. Melanchthonis*, p. 295.

dam *iuratos* eius *osores*, et denique tertiam *nimios* eius *cultores* non dubitat referre. Cum prioribus ipse hoc in loco facere uidetur, posteriores uero hinc in defectu, illinc in excessu peccare, claris omnino et disertis uerbis nobiscum pronuntiat. De LVTHERO, quem uirum dicit summum atque praestantissimum, ingenium acre et sagax, animum ingentem et excelsum, nec non quasuis alias uirtutes eximias praedicat, quasi non dubitasset, fore *Arnoldum*, qui hoc suum genus scripturae leue, et Lutheri propterea persona satis dignum iudicet. Quantum e contrario iniquiores *Martini* inimicos oderit, ipse uerbis, superiora immediate subsequentibus (*), ab *Arnoldo* au-

tem

(*) Egregium addo id, quod hic cumprimis pertinet, IOACHIMI iudicium: *Admodum et scelerate errant*, qui in huius seculi deformitatem atque peruersitatem defigentes oculos, de illorum (*Lutheri et Melanchthonis*) consiliis et actionibus male sentiunt, et eas iudicant uitia et prauitatem ---- Fieri autem omnino nequit, quia monendo et docendo, dum errores notantur, minus etiam clementer dicatur inter-

tem omissis, prodit, affirmans: *Isti insectatores, qui non modo omnia scripta illius damnant, ut impia et turbulenta, sed nomen etiam auditum, tanquam omnis mali detestantur, nunc etiam, si quid cordis haberent, poterant reminiscendo considerare, quid acerbitate odii, et contumacia peruicaciaque aduersandi, et clamoribus uesanis effectum sit.* Quorum enim uulnera sanandi causa attractantur, eos clamando et obnitendo sibi ipsis nocere constat. Possitque his narrari Aesopica apud Aristophanem fabula:

Aesopus a coena redibat uesperi,
Hanc allatrabat improba et petulans
canis;

At ille ad hanc conuersus, o canis, canis,
Hac si repressa, ait, lingua tua mala,
Panes cöemereres, cor tibi esse crederem.

Et quae sunt reliqua. Neque tamen passus fuit unquam, ut contra omnem *Lutheri*

F 3

theri

interdum aliiquid, ut qui sordida loca expurgant, solum inquinatum non possunt non attingere et scalpere uerrendo. In Vita Melanchth. p. 31. ed. 1566.

theri uoluntatem (*), omnemque probatorum obseruantiam τὸ αὐτὸς ἐφα Pythagoricum, addo Pontificium, uel a paucissimis, iisdemque non satis prouidis, in nostram inueheretur Ecclesiam. Et quae infelix esset seruitus ac superstitio, in hominis alicuius dicta iurare? quae abominanda impietas, supra conditionem et modum generis humani hominem extollere? ita ut non *Camerarius* solum, sed et omnes purioris nostrae Ecclesiae Doctores, ipseque *Lutherus*, unumquemque ab eo prohibeant, neutiquam uero cum *Arnoldo* statuere concedant. Totum enim, iam ante citatum, si curatius intueamur Caput, is ipsi dicitur *Lutherum* supra conditionem et modum generis humani extollere, qui salutaris Reformationis primordia huic vindicat (**), Dei afflatum,

neque

(*) Nimium hinc honoris cultum recusauit saepius, imo monuit saepissime: *Man solle nicht ihm, sondern dem Worte Gottes schlechterdings trauen.*

(**) Multos ex ipsis Calvinianis, hac in parte, reclamasse *Arnoldo*, et aliis, ueritatem impudentibus, cordatores nostratum plurimi iam dudum iuerunt probatum. Inter illos uero locum

neque tamen immediatum (*), adsignat,
pietatem suam, uel maxime posteriori,
probat (**), Viros sanctos in nonnullis

F 4

com-

locum non ultimum occupare uidentur PA-
LATINI, im außführlichen Bericht, Cap. III.
Wir erkennen mit sonderbahren Danck, was
GOTT für grosse Dinge durch sie gethan hat,
SONDERLICH durch D. Luther, von dem
Zwinglius selbst schreibet: Er sey der kleine
David gewesen, der ERSTLICH den grossen
Goliath zu Rom anzugreissen sich unterstanden
habe. etc.

(*) Sic enim accipienda sunt illa, IOH. STI-
GELII, in Lutheri Epitaphio, uerba:

*Ille Dei adstatu monitus uerboque uocatus,
Lucem Euangelii sparrit in orbe nouam.*

quae tamen pro libidine sua aliter exposuit
Arnoldus, l. c. §. II.

(**) Legantur Viri Magnif. Dn. D. MART.
CHLADENII, Maecenatis mei et Hospitis
summopere Colendi, *Vindiciae Reformationis*
Lutheri, a nonnullis nouatorum praeiudiciis,
Praeid. III. §§. maxime IV. V. et VI. ubi sex
eleganter probatur argumentis, posteriora Lu-
theri scripta prioribus omnino esse anteponen-
da. Vid. supra p. 70.

comparat (*), reliquias eius, sine omni superstitione, curat (**), Reformatio-
nem eius Principum ope et auctoritate non fuisse suffultam, pronuntiat (***) , et stylum, quem adhibuit quandoque uehementem, saltem, excusat (****).

Quem-

(*) Videatur, si ita uisum fuerit, editus nuper *Prodromus de Lutheru*, ex sententia Philiippi, *omnia in omnibus*, p. 5.

(**) Quem in finem conferantur praecipue Summe Reu. Dn. D. GEORG. HENR. GOETZIL *Singularia de Reliquiis Lutheri*, diuersis in locis asseruatis, Lips. 1703, in 4.

(***) Conf. laudata modo dissertatio Dn. D. CHLADENII, Praeiud. V. p. 25. sqq.

(****) Lutherum uti uehementi, acri, imo liberiore ingenio praeditum fuisse, non equidem negamus, cum ipse hoc agnoscat Tom. V. Altenb. f. 275, ita eum tanto furori, affectibus abreptum, induluisse, nunquam probari poterit, si quidem *Tempora, Personae et Obiecta*, quae hic occurrant, plane singularia sunt. IDEM in *Vindiciis*, Praeiud. II. p. 12. sqq. ubi haec tria egregie et seorsim expenduntur, subiunctis HVBERI uerbis: DEVM illa Lutheri uehementia usum esse, ut Reformatio, quae alias in mollioribus fuerat oppressa, infracta perurerit et confliterit.

Quemadmodum autem hinc ueritatem ,
hinc aequitatem contemtim abiicit, et alio-
rum effata , dextre interpretanda , sinistre
accipit , ita nemo non agnoscit , recte iu-
dicare CAMERARIVM , fallere uero AR-
NOLDVM , et fama adhuc integra consi-
stere LVTHERV M.

Sed quorsum , VIR SVMME VENE-
RABILIS , prolixior haec mea et fere mo-
lestia tendit oratio ? Forsan , ut exiguae in-
genii uires tentarem ? atqui fastigium hae
TVVM reformidare uidentur ; forsan , ut
Lutheri pariter atque *Camerarii* famae suc-
currerem ? atqui haec erat inexpugnabi-
lis ; forsan , ut meam , a Patre cum uita
acceptam , erga TE pietatem singularem
atque reuerentiam exprimerem ? atqui
uerbis hanc satis posse declarari , uix ha-
beo persuasum . Neque tamen ideo fa-
cti me prorsus poenitet considerantem ,
TVAM , GRAVISSIME PRAES VL ,
MAGNIFICENTIAM Fanaticas *Arnoldi*
fraudes ex toto animo odisse , sanio-
rem *Camerarii* mentem accurate nouisse ,
et egregiam denique *Megalandri* operam
defendisse strenue . Quanta acerbitate
Arnoldus Ecclesiam nostram puriorem ,

non uitiorum solum in uita , sed et erro-
rum in doctrina , subinde insimulauit ,
addens , ex ea , tanquam Babylone con-
fusa atque corrupta , per nouam , quam
anhelauit , Reformationem esse exeun-
dum , tanta TV , VIR MAGNIFICE , dex-
teritate in contrarium iam dudum osten-
disti , Ecclesiam nostram inter tot deuia
consistere potius in medio , et uiam te-
nere regiam , a qua ne latum quidem un-
guem sit discedendum . Quantam bono-
rum omnium laudem atque existimatio-
nem magnum illud Germaniae nostrae
ornamentum , *Camerarius* , uel apud ex-
teros , sua Linguarum exacta cognitione
sibi conciliauerit , ex iis , quae supra sal-
tem delibauit , satis potest perspici . Huic
uero , TE , *Musarum PATRONVM* ,
assimilandum , immo et in multis mul-
to adhuc anteferendum esse , quis du-
bitauerit unquam ? Familiam quippe non
in Latio solum et Graecia , sed et in toto
propemodum Oriente ducis , quod pul-
pita testantur Academica , et scripta , iam
olim aeternitati sacrata , post haec loquen-
tur . Diuinum illud saluberrimae Refor-
mationis Organon , *Lutberum* , si quis in-
tueatur

tueatur accuratius , firmorem eius doctrinam et constantiam , qua ueritatem coelestem vindicauit pariter atque propagauit strenue , confido , admirabitur . Cuius uero cum uestigiis et TVA arctius inhaeserit MAGNIFICENTIA , dubium non fuit , quin specialem summi Numinis concursum , egregie abs TE quondam descriptum , amplissima sis percepturus messe . Neque spem fecellit euentus , si quidem annos annis , et munera muneribus ita cumulauit diuinus fauor , ut Ecclesiarum SAXO-ELECTORALIVM summo , quem tenes , clavo nuperrime admotus , de repetito nunc *Die Onomastico* , cum splendida TVA , quam colo uenerorque totus , *Familia* , inter noui , auspicioque suscepti muneris initia , possis laetari . Quemadmodum uero multorum salus , omniumque clientum suprema in his terris felicitas , post DEV M , ex *Patronorum* salute dependet , ita aliorum inter plausus et acclamations uotiuas mihi quoque , de clientela TVA usque gaudenti , idem tentare liceat . TIBI nempe , MAECENATI *Summo atque Grauissimo* , lucem hanc ipsam benignorem ex interiori cor-
dis

dis recessu, eo, quo par est, animi cultu
ac ueneratione gratulor, DEVM ter optimum
terque maximum supplex precatus,
uelit TE, per multos adhuc annos, ab
iniquis aduersariorum insidiis, et luctuo-
sis morborum incommodis sartum te-
etumque conseruare, et diem hunc, tan-
quam gaudii exquisitissimi materiam, sae-
pius reducere. Haec enim ex uoto ubi
acciderint, Ecclesiae praesidio, Familiae
solatio, et denique clientibus receptui
eris atque patrocinio; quibus si Summa
TVA Benevolentia me associauerit por-
ro, in prima id felicitatis meae parte re-
ponam.

* * *

Die XVI. Maii Academiae Rector Ma-
gnificus **CHRISTOPH. HENRICVS**
DE BERGER, Comes Palat. Caesar.
Potentiss. Polon. Reg. ac Elect. Saxon.
in summo prouocat. Senatu Consilia-
rius, etc. etc. Ciues Academicos ad peni-
tius considerandam Spiritus S. gratiam, progra-
mate, a Decano Facult. Theol. **GEORG.**
FRID. SCHROEERO, SS. Th. Doct.
et P. P. elaborato, hic uero repetito, inuitauit.

Visibi-

Visibilis Christi e mundo abitus conturbauit maxime diuos Apostolos, quorum animos fractos et afflictos erexit, et ab omni solitudine abstraxit Saluator, illisque promissit donum optimum et nobilissimum, Spiritum Veritatis, a) non diuinam perfectionem, seu, ut opinatus est *Crellius*, Summi Numinis uirtutem, nec creaturam, ut statuit *Arius*, sed πνεῦμα, cuius origo diuina est: Παρὰ τὸ πατέρος ἐκπορεύεται, et παράπλητον, a Patre et Filio distin-
ctum, a coniunctione uero Patris et Filii, ut lo-
quitur *Basilius*, non separatum, υπόστασι diui-
nam, quam Latina Ecclesia uocauit Personam,
cuius praesentiam singularem, et Gratiam diui-
nam, a Patre coelesti precibus impetrare nobis
potuit summus Sacerdos. Hic Spiritus omnia ad
Ecclesiam, et communem animarum fructum at-
tulit. Dicitur enim τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας,
non unice, quia a Patre et Filio, qui ipsa est Veri-
tas, ut putauit *Cyrillus*, procedit, nec tantum, quia,
ut *Euthymius* statuit, in nobilitate Naturae longe
angelis et animabus excellit, uerum quia veritas
coelestis, in qua omnis hominum salus unice posita
est, ex illo ducit originem, et nemo, qui ad du-
ctum eius se applicat, erroribus implicatur; Hic
Spiritus speciatim Apostolos ita direxit, ut falli,
et in errorem deferri nunquam potuerint. Veritas
autem, ab isto Spiritu orta, est Dei Verbum, sacris
literis consignatum, quod sua luce coecos homi-
num

a) Io. 15, 26. c. 16, 13.

num animos collustrat, nouum lumen accendit, et in illis imprimat diuinis notiones, ut Trinitatem et Benevolentiam eius, qua omnes homines, quorum salutem cupid ardenter, complectitur, Filiumque Dei, naturam eius humanam proprietatisibus diuinis praeditam, et opera, quibus pristinam dignitatem hominibus restituit, et recuperauit salutem olim amissam, mente conspiciant, suauissima Spiritus istius uerba, peccatores omnes ad se et Christum attrahentia, audiant, et fide donati in iustorum numerum adscribantur, iuste que Deum sancte et religiose colant, et tandem, omnem suam fiduciam in Christi meritum collocantes, feliciter ex uita decedant. Hanc ueritatem non tantum olim auersati sunt multi, sed hodie quoque non pauci contemnunt et pro nihil putant Spiritum S. et Veritatem eius; quidam uerum a falso non distinguunt, et amant uehementer indifferentismum; multi putant se posse studio Veritatis istius, quo ueri Christiani ardent, supersedere, et ope naturae, huiusque uiribus animum excolere doctrina, ut Deum auguste possit uenerari, honeste uiuere et sua industria et uirtutis studio summam et perpetuam felicitatem comparare. Pelagianos refutauit Augustinus, Arminianos Calouius, Curcellaeum Maresius, Edoardum Herbert de Cherbury, Musaeum et caeteros Naturalistas reliqui, nunc audiatur Petrus Chauvin, b) et

b) c. 8. libr. de naturali Religione P. I.

et quaedam eius argumenta, quibus salutem aeternam, viribus naturae comparandam, tueri conatus est, considerentur animo. Prima eius ratio haec est: *Misericordiam, seu propensionem, ad omnes intra huiusc uitae curriculum aerumnis, una cum peccatis afflictos subleuandum, naturadace, exploratum habemus.* Natura tam magnam Dei Misericordiam, quam infinitam iustitiam docet homines, et neminem, nisi uel ipse, uel alias iustitiae satisficerit, gratiam posse consequi, recta probat ratio, modum uero, quo inter Deum iratum et peccatorem gratia possit componi, nouit nemo, qui in rationem suam inquirit, et naturam scrutatur. At Gratia Dei uniuersalis, quam Spiritus S. manifestam fecit, non tantum est amor erga homines incredibilis, uerum etiam ordinat salutis principia, ut homo, istis recte cognitis, sibique applicatis, apud Deum in gratiam ponatur. Hanc Gratiam forte non uocat in dubium Chauvin, c) Non enim inficiatur Gratiam, quae supra naturam eminet et omnino est supernaturalis, eiusque asserit necessitatem. Si uero naturae viribus saluari potest homo, non est absoluta Gratiae, quam uocamus supernaturalem, necessitas. Consideremus animo rationes, propter quas Gratiam supernaturalem religionis naturalis partem esse existimat. Primo, ait, dicimus Deum, pro sua misericordia, gratiam nobis induluisse, ad mendendum

c) P. 2. c. 7. p. 287.

dendum nostrae inueteratae malitia etc. quod secundo ita uerum est, ut Pelagius coactus aliquando fuerit argumentorum pondere fateri illam ipsam internam gratiam, quae animis nostris circumfulgeret. Sed tertio Gratia adeo est naturae accepta, ut omnes unanimi consensu crediderint, illam fuisse naturae superadditam. Gratia diuina non sit Religionis naturalis pars, quia naturam hominis corruptam corrigit; Diuina enim uirtute restituit pristinam dignitatem peccatoribus, et reducit illos cum Deo in gratiam. Si Pelagius ueram Dei gratiam cognouisset, notitiam illam debuisset diuinis sententiis, quibus opinionem Pelagii oppugnarunt Patres; at nomine quidem Gratiae iste usus est, gratiam uero uocauit legis doctrinam, quam religionis naturalis partem esse, opinatur Chauvin. Quanquam certo modo concederetur, Gratiam diuinam esse notionibus naturalibus additam, non tamen probaretur, Gratiam diuinam nostramque Religionem esse naturalem. Naturalis, ait Chauvin d) uocatur Religio, quoniam extra limites naturae non uagatur, nec in reuelationem se immittit. At Gratia non potest esse supernaturalis, et extra limites naturae non uagari, nec in reuelationem se immittere. Se quidem coniecturas adferre et nihil usque quaque certissimum, et in aliquibus reuelatione carere, ait Chauvin, nihilominus tamen, inquit, ubi nostrae conie-

d) c. i. P. I. p. 3.

coniecturae, eaeque praegnantes, coniunctae sunt una cum ratione, atque etiam caritate, tum salus hominum, naturae addictorum, modo iuste ac iuxta conscientiae dictamen uiuant, animo nostro sese ingerit ac tantum non persuadet. Si Spiritui Veritatis fidem habuisset Chauvin, non leui conjectura inductus, coecam sequutus fuisset rationem. Diuinas Personas, quarum intelligentia ad salutem est necessaria (Haec enim est uita aeterna, ut Patrem, solum uerum Deum, et quem ille misit, Iesum Christum agnoscamus) non perspicit et cognoscit ratio. Chauvin tribuit uim afferendi e) salutem aeternam legi naturali, quam uocat exquisitissimam rationem, quatenus post innumera et repetita exercitia in actum tandem exit. f) Legis huius causa est animus. g) Haec opinio placeret, si in uiuis esset, Pelagio. Nulla uero datur lex, quae potest uiuiscare hominem h) et homo animalis nec percipit, nec percipere potest ea, quae sunt Spiritus Dei, i) sine quibus nulla salus parata est hominibus. Non tantum gradu luminis, ut putat Chauvin, a reuelatione differt natura. Ut res naturales a Sapientia in mysterio k) maxime differunt : ita Lux scripturae a lumine naturae reipsa distinguitur. Hinc nihil ualeat eius ratio : Incolis, qui sub polo uiuunt, obscuræ obtingit lux, et qui a sole tantopere non absunt,

IN R. C. H. DE BERGER.

G

abun-

e) P. 1. c. II. p. 116. f) P. 3. c. 2. p. 333. g) 1. cit. p. 336. h) Gal. 3, 21. i) 1. Cor. 2, 14. k) 1. Cor. 2, 7. et 8.

abundant, et homines ubique uiuunt: ita alii sunt
a Deo instructi per clarissimam reuelationem, alii
per naturam et a salute non debent excludi. Quid
lumen possit naturae, et quid Veritas, quam no-
bis effecit notam Spiritus S. ad salutem afferat,
probat *Paulus*, qui homines, naturali Sapientia
praeditos, tenebras, luce uero coelestis ueritatis
collustratos, lumen nuncupauit. 1) Sola sapien-
tia quam laudat *Paulus*, est uirtus ad salutem
omni credenti. m) Falsam, quam reiicimus, opi-
nionem exemplis demonstrare conatur *Chauvin*.
Plurimi, ait, ante diluuium, Deum sincero animo
coluerunt; ille uero cultus sponte fluxit ex fonte
rationis, superaddita antiqua ac primaeua de Deo
traditione, quae intra rationis gremium concludi-
tur. *Noachum* uocat, iustitiae praeconem, quia,
interiori excitatus conscientia, de gente in gentem
penetrauit ad uitia hominum retundenda, et plu-
rimos, qui sub uindice manu perierunt in aquis,
iacturam suae salutis non fecisse 1. Petr. 3, 19. et
c. 4, 6. probari opinatur. Norma cultus diuini
ante diluuium nou fuit ratio, sed Dei uerbum,
et hac sancta traditione distinguitur sancta Socie-
tas a Coetu Naturalistarum. *Noachus* omnem
quidem dedit operam, ut homines malos et im-
pios corrigeret, et errantes in rectam uiam redu-
ceret; praecō tamen iustitiae potissimum ideo uo-
catus est, quoniam iustitiam, merito Christi par-
tam,

1) Eph. 5. 8. m) Rom. 1, 16.

tam, notam fecit illis, quibus *Christus*, ad
damnatos descendens, gloria uictoria pro-
bavit, uerum fuisse *Noachi Euangelium*, i-
deoque iuste condemnatos esse homines, qui
Noach fidem non habuerunt, nec fiduciam in
Christum collocarunt. Duas *Petri* sententias pla-
ne diuersas confundit in unam. Nam *Petrus*
ait c. 3. *Christum* apparuisse hominibus, qui dicto
Noachi non fuerunt audientes, et in carcere in-
fernali asseruabantur, non uero dicit, *Christum*
promisisse miseris illis hominibus auxilium, nec
uerbum ἐνίγματος probat orationem *Christi* pla-
cidam et perblandam, siue euangelium. Re po-
tius, quam uerbis praedicauit *Christus* recte di-
cunt Theologi; *Petrus* autem c. 4. probaturus,
Euangelium debuisse omnes audire homines, non
tantum illi, qui eo tempore uitam ducebant, ue-
rum etiam ceteri, qui olim fuerunt in uiuis, et
e uita excesserunt, siue, illis, ait *Petrus*, nunc
quidem mortuis at olim uiuis euangelizatum est.
Iobi religionem tantum naturalem fuisse, demon-
strari sentit *Chauvin* libro eius ante contractum
Dei cum *Israëlitis* foedus composito, et loco, in
quo uitam degebat, a sedibus Patriarcharum se-
parato. Interpretes quidem de sede, gente et
aetate *Iobi* disputantes inter se dissident atque
discordant, Patres uid. Prooem. Caten. Graec. Patr.
Nicet. Cocceius, Hottingerus, Bolducius, Pineda,
Mercerus Borrhai, Calouius, Schmidius, Frideri-
cus Spanhemius et alii, nemo uero interpretum,

qui *Iobi* librum diuino afflatu conscriptum esse asserit, recteque intelligit, *Iobum* uocari iustum et pium, cognouisse *Messiam*, Mundi redemptorem uitaeque restauratorem, statuet cum *Spinoza* et *Petro Chauvin*, dicetque *Iobum* fuisse Gentilem, et Religionem eius naturalem. *Iobo* addit *Chauvin* homines uiuentes in remotis locis procul ab Euangeli luce amandatos, qui rationi ac naturali legi se morigeros pruebent. Nam ubique, ait, ille, qui iustitiae operam nauat, Deo est acceptus et gratus. Qui sine lege uiuunt, sine lege peribunt, lege naturali conuicti: ita et pariter, qui sese naturalis legis normae adstringunt, Deum habebit propitium. Deus ab homine exigit obsequium babita ratione lucis, quam ipsi indulxit, nec vitio illi uertitur, quod Euangilio, ipsi plane incognito, non obsecundauerit *Iob.* 15, 22. Homo, diuino lumine nondum collustratus, qui ad praescriptum naturae et rationis uiuit, religionem quidem habet naturalem, Deo uero non acceptam et gratam, qua motus delicti facit gratiam. *Petrus* n) non laudat uirtutem hominis gentilis, sed *Cornelium*, olim gentilem, nunc uero Christianum, qui ἀνὴ δίκαιος οὐ φοβέμενος τὸν Θεὸν recte potest nominari. Nihilus enim Gentilis iustus est et uere timet Numen, sed sine Christo est alienatus a Republica Israel, hospes testamentorum, et nullam habet spem promissionis, et atheus est in mundo. o) Deus requirit lumen, non quod natura, sed

n) Act. 10, 35. o) Ephes. 2, 12.

sed Spiritus Veritatis praefert mentibus regenerandis, iustificandis, sanctificandis et coelo beatidis. Totus uero animus, lumine naturae collustratus, est instar loci caliginosi, qui lucem uerbi diuini debet admittere, si liberari cupit summa miseria, et cum Deo consociari. Lux illa teste Petro est p) *Sermo propheticus, in loco caliginoso lucens, donec dies elucescat, et Φῶς Φόπος oriatur in cordibus nostris.* Si λόγος humam naturam non assumpsisset, non posset homo absentia fidei condemnari; si uero Christus non Iudaeis, sed aliis suam praesentiam declarasset, non quidem illud, ait Augustinus q) haberent peccatum, quo in eum loquentem et operantem non crediderunt, et ut Hunnius loquitur: *Si non a toto, a tanto tamen peccato essent excusati, iuste uero absentia fidei damnarentur.* Quia omnis, qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Dei Filii. r) Luce, ait Chauvin, ditat homines, Gratia destitutos Prudentia, quae die nocteque urget, praecipit, edocet interiorem hominem moderando. Gratia tantum diuina format et singit interiorem hominem, cui homo opponitur carnalis et animalis, qui in summa rerum diuinorum ignorantia uersatur s) Lux Prudentiae, luci Euangeli opposita, est lux naturalis, quae naturalis tantum luminis causa est, et homo, illa

G 3

luce

p) I. Petr. 1, 19. q) t. 9. Oper. Expos. in Euang.
Ioh. tract. 91. r) Ioh. 3, 18. s) I. Cor. 2.

luce formatus, nescit Trinitatem et cetera mysteria, ac Religio eius est superstitionis. Nam qui non colit Filium, nec Patrem ueneratur. t) Hoc unice, inquit Chauvin, et quod Act. 4, 12. dicitur, pertinent ad illos, qui in media Euangelii luce ambulant. Hoc probare conatur 1) *Israelitis* multis, qui crediderunt in *Messiam* futurum, (quo putat demonstrari, existentiam fidei non esse necessariam) et mortis quoque Christi genus ignorarunt 2) *Infantibus*, qui uix nati moriuntur. Si uero Petrus uiam ad salutem tantum monstrat illis, quibus notum fit Euangelium, reliqui uero solius Prudentiae ope saluantur, Nomen omnino datur aliud in hominibus, quam nomen Iesu, quo homines nonnulli seruantur, et si in illis tantum terrae partibus, ubi Christi floret Ecclesia, Christo unice saluantur homines, in aliis uero locis, ubi Gentiles uitam degunt, Prudentia diuina beat homines, Ὄνομα ἡστὸν ἐπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ θεόμενὸν ἐν αὐθεώποις, ἐν ᾧ δὲ σωθῆναι ημᾶς. *Israëlitae*, quos Deus beavit coelo, fide praesente, quae rem absentem, efficacem tamen, apprehendit, salutem consequuntur, et infantes non uirtute naturae, sed fidei, modo uel ordinario, uel extraordinario diuinatus concessae, societatem beatorum accedunt. Tandem magnam uim tribuit Chauvin sacrificiis, quae Deo Gentiles obtulerunt, sed fatetur ipse, quod

t) Ioh. 5, 23.

quod ritum a Maioribus acceperint Gentiles, et quia nec Deum agnouerunt uerum, nec fide donati fuerunt, non fuit ille ritus uerus Dei cultus, sed supersticio. Vobis, CIVES OPTIMI, gratulator de felicitate, non tam corporis, quam animi. Vos auditis Spiritum Veritatis: nullus uerborum sonus est suauior, quam uerborum Spiritus S. non enim hominum, sed Dei conciliat Gratiam; nulla oratio est utilior, quam Spiritus S. Euangelium. Imbuit animos uestros sapientia optima, donat uos fide, constituit iustos, et accingit ad spem uitiae aeternae certissimam, Lex corrigit mores, et adhortatur ad uitiae sanctimoniam. Ab hoc Spiritu, *Dilectissimi Ciues*, non recedatis, non coniungatis mendacia cum eius ueritate, expugnetis uitia, fugiatis peccata, et id hodie agatis, quod Spiritui Veritatis erit gratum, accedatis nobiscum ad aram frequentes, et honoretis donis Sanctos Spiritus ueritatis *Ministros*, horum preces conciliabunt uobis Dei Gratiam, iisque felicitatem bonam et perpetuam uobis impearabunt. P.P. Fer. I. Pentec. A. O. R. MDCCXXIII.
Vitembergae, Prelo Schroederiano.

* * *

Eodem tempore, secundum consuetudinem apud nos receptam, Ciues Academicci sermone ligato, a FRIDERICO STRVNZIO P.P. Pöef. adornato, ad offerenda coram altari munera uocabantur, cuius exemplum sequens erat:

Proles Anubis dicitur abditae
 Issaeque Prylis, Lesbiadum sacer
 Vates, Deorum missus ipso
 Consilic ac bonitate Graecis.

Caelestis autem Filius et Pater
 Nobis supremum consiliarium,
 Flamen dat, omnem in ueritatem
 Quod miseris homines reducat.

Issa satus sit doctus Apolline
 Arteis, nec ipso Mercurio minus,
 Facundus et certus, futura
 Ut caneret timidis Achiuis.

Seruator inquit: concipiet meis
 De rebus almus Spiritus ac Patris,
 Vobisque narrabit fideli
 Ore suo, studioque, cuncta.

Isseus augur condocet Hellinas
 Troiana promto quo capiant modo,
 Et machina structa, dolosa
 Moenia non superanda mente.

Diuinus autem Spiritus haud dolos,
 Sed sancta, tradit, queis mediis queas,
 Tuto gradu, laetoque corde,
 Scandere sidereos ad orbeis.

Et Lesbiorum nunciat Helladi
 Vates, parari non numerabileis
 Exercitus a Xerxe, fortes
 Graiugenae quibus obruantur.

Ventura,

Ventura, dixit Spiritus, agmina
Ad sanctiorem Tartarei Louis
Coetum Dei, mortalibus quo
Eripiant miseris salutem.

Suadet Pelasgus, prospiciant duceis
Graeci peritos tempore commodo,
Vanos futuros Xerxis ausus
Consiliumque ferox, putatque

Promissionis nitimur optimae
Spe, nullus ut sit sic Stygis impetus,
Si non potest Christo nocere,
Non poterit violare membra.

Grates aguntur fatidico duci
Pro tam salubri consilio, bonis
Magnisque missis, Rege celso
Helladis, ab Palamede, donis.

Quae dona, CIVES, nos dabimus Deo
Pronunciatis Spiritui sacro?
*Offerte nobiscum fideles
Pectora grata manus benignas.*

P.P. Feriis Pentecostal. Ann. CICCI CCXXIII.

* * *

Maiora sunt Viri Excellentissimi D.
CHRISTOPHORI HENRICI, NOB.
DOM. DE BERGER in rem literariam et
Iuris in primis prudentiam merita, quam ut hic
enarrari queant. Quare, praeter alia, quibus du-
G 5 dum

dum cum dexteritate fungitur, munera, nuperime etiam ad Consiliarii Aulae atque Iustitiae dignitatēm euectus Potentissimi Regis ac Electoris erga se gratiam expertus est. Inter alia multa, quae edidit, ingenii ac doctrinae documenta, merito commemoratur, **Dissertatio Selecta Iuris dotalitii capita exhibens, quam d. XXII Maii M DCC XXIII. in Cathedra excutiendam proposuit, quamque Vir Nobiliss. Dn. CAROLVS SIGISMVNDS FRANCKE Vitemb. Saxo,** pro Licentia Doctoris in utroque iure capessendi gradum, tuitus est. Vitemb. lit. uiduae Gerdesiae.

Constat illa plagg. V. paragraphis XLIII. §. 1. Iuris dotalitii originem moribus Teutonicis tribuit. §. 2. instituti rationem exponit, primo originem dotalitii Iuris eiusdemque fata, dein formam, tandem de pactionibus, dotalitii constitutioni adiectis, traditurus. §. 3. 4. 5. et 6. originem huius iuris altius repetit. §. 7. euincit, initio ap. Germanos, et dotem et dotalitium ad uxores, marito defuncto, rediisse, nec optionem hic obtinuisse. §. 8. rationes, mutati postea huius moris, exponit. §. 9. existimat, mores antiquos Germ. in dotalitio tribuendo, rationem non habuisse dotis illatae et in praedium uersae. §. 10. monstrat, dotalitia ap. antiquos Saxones, mutata per spontaneam saepe oblationem, allodiorum qualitate, non sublata quidem, mirifice tamen imminuta fuisse. §. 11. Feudum olim praestationem dotalitii nequaquam respuisse,

spuisse, docet. §. 12. Causam et occasionem, liberam dotalitii petitionem restringendi, Iuri feud. Longobardico tribuit, §. 13. De Vsu Germaniae moderno exponit, quo uiduae et citra dotalitii constitutionem alimenta ex feudo debeantur, sicubi dotem uere intulerit. Versionem autem ex illatione praesumi, rebus iudicatis confirmat. §. 14. et 15. agit de more recentiori, quo probatio uersionis uiduae incumbit, paulisper coercendo, ita quidem, ut contrarii probatio iniungenda agnatis, uidua autem eiusdemque descendentes foeminae uix arcendae sint a sacramento suppletorii, uersae dotis, editione. §. 16. De uaria iuris dotalitii explicatione, ubi B. Stryckius refellitur. §. 17. proponitur quaestio: utrum mortuo marito, uxor demum oblatione dotis ante promissae, consequi dotalitium possit. §. 18. et 19. Varias circa hanc quaestionem sententias examinat, deque usu fori ac obseruantia testatur. §. 20. quaeritur: an hactenus disputata ad Feuda Imperii aequa ac Principatus pertineant. Quod §. 21. 22. et 23. affirmatur, et exemplis confirmatur. §. 24. et 25. dissentienti Ittero respondetur. §. 26. rationes, aientem sententiam iuuantes, afferruntur. §. 27. Dotalitii et constitutionem et reliqua iura ex moribus et Iure Germanorum conquirendas esse, adstruit. §. 28. de forma dotalitii. Vbi nuptias per concubitum consuminatas, ad effectum consequendi dotalitii praerequiri, contra dissentientes euincit. §. 29. Liquidum reddit, quod

quod sponso a benedictione sacerdotali , ante concubitum, defuncto , sponsae , uiduae non competit ius exigendi dotalit. §. 30. Voce concubitus non copulam carnalem , sed meram thalami concessionem hic innui , hancque ad quaerenda lucra dotalitia sufficere , propugnat. Simul quod ad Morgengabam, ipsam carnalem copulam praerequiri contra Mylerum , Gamolog. Cap.XVI. §. 8. statuit. §. 31. de iure ac potestate , a uidua in dotalitio exercendis , agit : Quae singula ex iure Germ. definiri ac discuti merito , ait. Vbi de discrimine usus fructus Romani et Germanici. §. 32. Porro de ususfructus utriusque differentia et de dotalitii alienatione , quam uiduae vindicat , ita tamen , ut §. 33. ius illud alienandi ita attemperet , ut ipsa substantia seruetur integra , nec plus , quam possessio , usus aut exercitium , dimittatur. §. 34. Eorum reprobat opinionem , qui uiduam in dotalitio ad satisfacionem compelli posse contendunt. §. 35. Viduae ius , praedium in dotalitium cessum melius reddendi , uel ratione quae illud non atterat , immutandi , uindicat. §. 36. Ad dotalitium in feudo Imperii constitutum progreditur , atque Iurisdictionem inferiorem et superiorem (sed sine territoriali superioritate) ad uiduam illustrem , imo et Regalia minora deuolui asserit. §. 37. De Causis finiendi dotalitii disputat , inter quas secundae nuptiae. §. 38. Idem de Iure Sax. Commun. aduersus communem fori consuetudinem , affirmat.

affirmat. §. 39. Vsum istum forensem ad Personas illustres accommodari posse negat. §. 40. In sententiam eorum, qui dotalitium absorbere dotem asserunt, accuratius inquirit. §. 41. argumentum a donatione propter nuptias ad dotalitium ductum, minus ualere, docet, simul eorum differentiam ostendens. §. 42. Casum fingit, quo prisca consuetudo, qua cum dotalitio dos restituebatur, reuiuiscere debeat; si nempe pactis dotalibus cautum sit, ut dotalitium desinat, dote reddita, si ad secunda uota uidua transferit. §. ultimo de Iure optionis, circa dotem et dotalitium uiduae competens pertractat, et dissertationi finem imponit. Ad audiendam hanc disputationem Academiae proceres ac Studiosos inuitauit Vir Magnificus, D. GEBH. CHRISTIANVS BASTINELLERVS Ordinis ICtorum t. t. Decanus. Argumentum programmati in uitatorii, disputationi iam iam recensitae affine est. Tractat enim et de successione coniugum, tum Romano tum Saxonico iure definita; et sigillatim quaestionem §. 17. dissertationis laudatae propositam affirmat, simul alia iuris dotalitii capita breuiter tangit, tandemque de Candidati sui uita exponit.

*** Die

* * *

Die XXIII. Maii publice propositus est Catalogus Lectionum et Exercitationum, a festo Paschatis Anni M D CC XXIII. usque ad festum Michaelis eiusdem anni in Academia hac nostra Leucorea habitarum, quem communicasse non poenitebit.

IN FACVLTATE THEOLOGICA.
GOTTLIEB VVERNSDORFIVS, D. P. P.

et Sup. Gen. Publice in *Formulam Concordiae*, speciatim sic dictam, commentabitur. Priuatum in paelegendis *Institutionibus doctrinae Christianae*, adiectisque *examinibus quotidianis* ad *ductum Koenigii*, sedulo perget, denique, postquam recentiores controversias tractare desiit, earum loco *Historiam Ecclesiasticam*, inde a nato Seruatore, tradere instituit.

MARTINVS CHLADENIVS, D. In prioris Epistolae ad Corinthios copiosissimae interpretatione adhuc publicis horis occupatur. Priuatum, finita nuper tractatione *Oeconomiae actuum Spiritus Sancti*, in libros Symbolicos commentari, et *Institutiones concionandi* tradere, coepit. Quibus laboribus adiiciet Collegium Disputatorium in Theses, ex uniuersa Theologia selectas.

GEORG. FRIDERICVS SCHROEER, D. publice interpretabitur literas, quas Paulus de-
dit

dit ad Galatas; priuatim, absoluta Theologia, a Koenigio conscripta, collegia noua, Anti-Reformatum et Anti-Papaeum, inchoabit, et disputatorium continuabit.

IOH. GVLIELMVS IANVS, D. publice Casp. Neumannii Trutinam Religionum explicat: priuatim, in Collegio Biblico, semestri hoc spatio Psalmos, eadem, qua hucdum precedentibus libros sacros, per Dei gratiam, absoluti, methodo tractare, Historiam Ecclesiasticam seculi XVI. et XVII., ad nostra usque tempora continuandam, ductu Compendii Gothani, tradere, et Theologiam Aphoristicam Neumannianam exponere, perget: praeterea etiam, in eundem hunc libellum, disputandi exercitium, a nonnullis desideratum, propediem D. V. instituer.

IN FACVLTATE IVRIDICA.

IOH. BALTHASAR WERNHER, D. Ordinarius, Praelectiones Publicas ad Processum Criminalem absoluit. Nunc Ius Canonicum, iuxta doctrinam Schilteri, publice explicat. Priuatim Collegium ad Ius Ciuale, iuxta seriem Pandectarum, repetitorium pariter et examinatorium, nec non Collegium Disputatorium ad uarias Iuris partes, propediem inchoabit.

GEBH. CHRISTIANVS BASTINELLER, D. publicas praelectiones ad *Tit. π. de Regg. Jur.* continuat, hisque ad finem perductis, Distinctiones

ctiones Iuridicas iuxta seriem Pandectarum illustrabit. Priuatim Hoppii Examen Institutionum, et Schilteri Institutiones Iuris Canonici, explicat, neque iis deerit, qui Collegium Examinatorium ac Disputatorium denuo expetierunt.

GODFRID. LVDOVICVS MENCKEN, D. publicis in lectionibus in explicatione Iurisprudentiae Struuianae occupatur, priuatim Pandectas Schoepferianas interpretatur, dictamque Struuii Iurisprudentiam, ut et Vsum modernum Menckenianum, textui Institut. Iustinian. accommodatum, et recentissime typis rursus exscriptum, ad quorundam desiderium, post ferias Fest. Pentecost. enodandi initium faciet.

CHRISTOPH. HENRICVS DE BERGER, D. h. t. Academiae Rector, coeptas publice, in Introductionem Strykianam ad Processum Iudicarium, lectiones absoluet, priuatas uero, quas inchoaturus est, singulari schedula indicabit.

IACOBVS CAROLVS SPENER, D. publice Strykianum Examen Iuris Feudalis ad ductum Observationum sigillatim exhibitarum, exponit, iungetque publicis Iuris Feudalis Scholis priuatum examinatorium et disputatorium collegium: praeterea inchoabit propediem priuatas in Excell. Dn. Griebneri Institutiones Iuris Naturae, nec non in Schilterianum Ius Canonicum, lectiones.

DIET.

DIET. HERM. KEMMERICH, D. publice adhuc in explicandis ad ductum Compendii *Lauterbachiani Differentiis Iuris naturalis et ciuilis* occupatur. Priuatim nuper denuo *Introductionem* suam ad *Ius Publicum*, idque sexta uice, itemque *Hoppii Examen Instit. cum Textu Iustinianeo* perpetuo conferendum, interpretari coepit. Animus quoque est, *Recessus Imp. scholis priuatis illustrare*, atque A. G. Fritzii IC. Gryphisuu. *Paratitla Recessuum* I. fundamenti loco in iis collocare: modo plures nobiliorum huiusmodi studiorum cultores Academia nostra aleret.

IOH. GODOFREDVS KRAVS, D. publice circa tertiam Partem *Constitutionum Electoralium Saxoniarum* uersatur. Priuatim *Institutiones Iuris Iustinianaeas, Schoepfferi Synopsis Iur. Priu. Rom. et For.* nec non *B. Strykii Examen Iur. Feud.* interpretatur, simulque *exercitia Disputatoria* iuxta seriem *Institutionum Iur.* continuat.

IN FACVLTATE MEDICA.

IOH. GOTHOFREDVS DE BERGER, Acad. Senior. Publice, notatis medendi corruptelis, quid in Arte Salutari uerum sincerumque sit, explorabit. Priuatim quid moliatur, separatim monebit.

D. CHRISTIANVS VATER, Patholog. P. P. Artem Medendi genuinam obseruationibus suis IN R. C. H. DE BERGER. H selectis,

selectis, et cautelis practicis, ulterius illustrare et confirmare perget. Priuatim uero, Commentario in Hippocratis Aphorismos ad finem perducto, nunc quoque selectum remediorum eorundemque operandi modos explicabit.

ABRAHAMVS VATER, D. et P. P. Anatom.
et Botan. Substit. praeter demonstrationes Anatomicas publicas, tria cadauera in Theatro dissecuit, in quorum altero ductum saliuale, ab ipso nouiter detectum, penitus confirmavit, in tertio uero foeminino a sex mensibus grauido, iucundissimum foetus, in utero materno contenti, spectaculum Auditoribus exhibuit. Priuatim in collegio Practico examinatorio, atque formulari, continuabit, ac publice, in horto, plantas indigenas atque exoticas, quarum sexcentas nouas species hoc anno obtinuit, imposterum demonstrabit.

IN FACVLTATE PHILOSOPHICA.

IOH. CHRISTOPHORVS VVICHMANNS-HAVSEN, LL. OO. Prof. Publ. per semestre
hoc aestiuum in eo potissimum occupabitur,
ut eximum istum, quem idioma Arabicum,
in cuius indolem et naturam penitus introspiciet,
in interpretandis Scripturis sacris praestat,
usum dilucide commonstret. Priuatim
sanctoris Linguae fundamenta denuo, qua
theoriam et praxin, tradere instituet.

10.

IO. GVILIELMVS BERGERVS , P. P. Antiquitates Germanicas, duce Corn. Tacito, excusit. Quarum investigationem etsi nondum dimittet, hanc tamen ipsam rerum, in Europa recens gestarum, enarratione dispunget, ut Stili simul politioris usum tradat. Priuatim, exposita nuper Imperii Historia , partim cetera Europae Regna commentationibus, partim Rei Oratoriae , ex ipso Rationis fundamento demonstratae, Exercitationes selectis aeuio nostri exemplis, cum pari Latinam vernacularaque Eloquentiam excolendi studio, illustrabit.

GEORG. GVIL. KIRCHMAIERVS commentationes publicas , quibus uniuersam Graecorum profanorum linguam cum sacra, per annum, comparauit. propediem finiet, reliquas uero recitationes, statis Mercurii et Saturni diebus perfsequetur, quibus haud dubia studiorum grauiorum ornamenta pariter ac fundamenta, adiumentaque, suppeditantur, exercitationibus item ingeniorum domesticis elegantioribus barbarum illum, nec ulla Graecorum humanitate conditum, differendi Latine morem exploder.

ERNESTVS CHRISTIANVS SCHROEDERVS , Log. et Philos. Primae P. P. publice Theologiam naturalem, eiusque speciatim capita , quae absoluenda restant, de *creatione et prouidentia Numinis*, propediem ad finem per-

ducet, αγγελογαφίαν deinceps, ac doctrinam Intelligentiarum, explicaturus, priuatim etiam nunc continuat scholas Metaphysicas, ac in eozest, ut mox ad tradendam philosophiam rationalem, ductu potissimum Celeb. Aepini, aggrediatur.

MARTINVS HASSEN, Moralium et Ciuilium P. P. h. t. DECANVS, publice hora matutina IX. *historiam Iuris Naturae*, a nonnullis expeditam commilitonibus, tradit, priuatim horis ante meridiem VIII. et X. post meridiem II. *Synopsin scientiae de prudentia morali uniuersa* explicat, selecta ex eadem argumenta horis III. et IV. in *disputatorio propositurus Collegio*, ubi primum praecepta tam conscribenda, ex practica potissimum Philosophia, disputationis, quam instituendae, fuerint dictata.

MARTIN. GOTTHELFF LOESCHERVS, D. Aphorismos Hippocratis annotationibus Physicis aequae ac Medicis in Praelectionibus publicis illustrabit. In praesenti Chymiam atque Physicam Experimentalem tractat, utramque scientiam elegantissimam elegantioribus docet demonstrationibus, atque propediem Physiologiam Medicam inchoabit.

FRIDERICVS STRVNZIVS, Poef. P. P. expli- cata, ex dramatica Poesi, Comoediae na- tura, Tragoediae indolem, uirtutesque ac uitia, hora

hora pomeridiana II. publice expositurus est. In poetas, aliosque auctores, graecos hora VIII. matutina commentatur, horis uero I. IV. et VI. pomeridianis uarias sapientiae doctrinas interpretatur.

IO. FRIDER. VVEIDLERVS, Super. Mathem. P. P. publice hora VIII. *Doctrinam temporum* explicat. Priuatim in cursu mathematico hora IX. et XI. uersatur.

IACOBVS CAROLVS SPENER, D. Histor. P. P. post absolutas publicas in Saxonicam Historiam lectiones, proxime ad exponendam Historiam Vniuersalem accedet. Priuatim docet Historiam S. R. G. Imperii Pragmaticam ad ductum compendii ab Excell. Dn. Langio concinnati, atque pergit in Germania Princeps Giouannea explicanda.

IO. MATTHIAS HASIVS, Math. Inf. P. P. publicis lectionibus Architecturam ciuilem explicat methodo mathematica, et solidioribus fundamentis, quam uulgo, superstructam, priuatis Fortificatoriam et Mechanicam cum Algebra Geometrica tractat.

PRAETER Professores Ordinarios, Viri etiam eruditione et industria clari officio suo functi sunt. Siquidem

IOH. CASPAR HAFERVNGIVS, SS. Theol. D. eiusd. P. P. E. et Archi-Diaconus, singulari
H 3 indu-

industria suos ad Theologiae Moralis et Theticae fundamenta itemque ad ueram, qua Theologiae Studiosus prae ceteris ornatus esse debet, pietatem duxit.

GEORG. FRIDER. RAVIVS, Philos. Prof. P. Extr. Collegii Philosoph. Asses. Ordinar. et uerbi diuini minister, Historiam Philosophicam continuauit, Collegium Epistolographicum, Oratorium et alia de tabulis publicis intimauit.

SAMVEL FRIDERICVS BVCHERVS, Antiquit. Prof. Publ. publice utramque D. Pauli ad Timotheum Epistolam ac L. Psalmos Davidis, per hoc semestre, ex Antiquitate et Philologia illustravit. Priuatum Philosophiam Primam, Logicam ad Theologiam, aliasque eruditionis partes ab ipso applicatam, Linguam Hebraeam, Chaldaeo-Targumicam, Syriam et Samaritanam tradidit.

Tacemus alios magni Eruditionis Viros Doctores et Magistros, quorum diligentiam Academia nostra et totus orbis eruditus dudum probauit, qui et rogantibus doctrina prompti sunt et sua sponte studiosae iuuentuti erudita sua officia offerunt. Exercitia etiam Corporis, quae apud magistros in arte equitandi et saltandi exercitatissimos instituuntur, politissimos ac gratissimos nostros reddunt
studioſos.

* * *

Die 25. Maii Dissertatio inauguralis Medica
Physiologica et Pathologica , uisus duplicati et
dimidiati considerationem complectens , Praeside
ABRAHAMO VATERO Ph. et M.
D. P. P. et Anat. ac Botan. substit. etc.
Pro Licentia habita fuit a **IOHAN. CHRISTIANO HEINICKE**, Geravarisco,
Vitemb. prelo Gerdesiano , plagg. 4.

Praefamen ipsis casibus praemissum , de oculorum prae aliis organis praestantia , uariisque et miris , ex illorum laesione enatis phaenomenis agit. Hoc excipit enarratio casus primi , de uisu geminato , per terrorem a fulgure excitatum enato , una cum cura illius per remotionem tristitia , remedia laxantia , nec non aperientia ac neruina , tam interne quam externe adhibita. Casus uero secundus exhibit uisum obiectorum dimidiatum , moestitia contractum , tribusque Observationibus illustratum. Ipsos hosce casus , ulterior iam sequitur phoenomenorum circa illos occurrentium explicatio , succinctis thesibus comprehensa , quarum I. Visus dimidiati prae duplicato demonstrat raritatem , cum difficultae proximae huius mali enodatione ; II. Hinc , ad huius rei explicationem , generalem oculorum delineationem , ad cognoscendam uisus rationem , per radiorum uisuorum immissionem , et dehinc in tunica retina factam impressionem , praemittit. III. Praeter alia circa ui-

sum occurrentia phaenomena, miratur, qui fiat: quod obiectum, re uera dupliciter in duobus oculis delineatum, duplitemque in neruis opticis motionem excitans, unum saltem appareat, cum recensione sententiae Galeni, a recentioribus explosae, idem, a coniunctione neruorum opticorum iuxta sellam equinam deducentis. IV. Recentiorum circa dictum phaenomenon dissensum comprehendit, quorum alii idem a rectilineo mentis iudicio, alii a concursu neruorum opticorum intra cerebrum in unum punctum, alii a tensione neruorum opticorum aequali deruant. V. Ultimam opinionem, quae Briggsii est, ueritati maxime consonam esse, multis atque ingeniosis argumentis demonstrat, atque ad explicandam uisus dimidiati rationem, fibrarum utriusque nerui optici decussationem, in coniunctione eorum, iuxta sellam equinam, supponit. VI. Hanc ulterius exemplo paralyseos particularis ac conuulsionum, a certa duntaxat laesione capitinis parte confirmat. VII. Obiectiones contra hanc sententiam affert, quarum summa innititur obseruationibus illorum, ubi nerui optici per totum suum tractum liberi et disiuncti deprehensi fuerunt, nec non obseruatione Vesalii, de foemina oculum dextrum emaciatum, sinistrum sanum habente, ubi neruus dexter sinistro in toto suo tractu gracilior fuit obseruatus. VIII. Primam harum obiectionum a separato neruorum progresu desumptam, remouet, afferendo, hoc ad p:
ter-

ternaturalem statum pertinere. IX. Alteram obiectionem ex Vesalii obseruatione decerp tam, nihil hoc facere demonstrat; quia nutritio oculorum non dependeat a nervis opticis, quod exemplo guttae serenae, et alio contrario illustrat. X. Remotis dictis obstaculis tendit ad demonstrandam uisu dimidiati rationem, quam non in tunica cornea, neque in humoribus quaerendam esse, dicitat, sed ut habet XI. in tunica retina, ac nervis opticis, in duo aequalia segmenta, hemisphaeriis cerebri respondentia diuisis; Hanc uero neruorum diuisionem, in duas aequales partes, ante eorum coniunctionem statuere, absurdum iudicat. XII. Dictum phoenomenon exemplo hemiplegiae confirmat. XIII. De officio neruorum opticorum, atque eorum in uisu dimidiato laesione, a sic dicta tunicae retinae hemiplegia deriuanda, rationem uberiorem reddit. XIV. Causam uisu duplicati a sublato fibrarum, in nervis opticis parallelo accersit, ac inter causas occasionales, primum ebrietatem explicat. XV. Reliquas causas occasionales, u. g. catarrhos, obiectorum distantiam, oculorum laxitatem, instantem mortem, reconuersentiam ex grauioribus morbis, herbae nicotianae fumum, plagas oculorum, spasmodum a fulgere excitatum pertractat. XVI. Nullam obstructionem, in uisu dimidiato adfuisse, ex frequenti mali reditu atque abitu probat; cuius loco XVII. pressionem externam, a sanguine crassiore et fuscuento, in arteriis stagnante, ponit. XXIX. Con-

cludit, in cura ad causas medicum ablegans, simulque docens: ex fibrarum in nervis opticis decussatione, atque unione intimiore iuxta sellam equinam, rationem petendam, cur oculo uno accuratius uideamus, quam duobus, et cur affectus oculorum, facile ex uno in alterum transeant.

* * *

Sub initium mensis Iunii Dissertationem Theologicam habuit sub hoc titulo: *Repetita demonstratio, quod non hodiernae Romanae, sed Euangelicae Ecclesiae Ministri habeant uerum uerbum Dei, et Io. Milani S. I. et Missionarii caesarei iteratae prouocationi opposita, et contra omnes illius obiectiones uindicata*, Praeses IOHANNES GVILIELMVS IANVS SS. Theol. D. et P. P. Alumnorumque Regio-Electoralium Ephorus, Respondente M. GODOFR. von PEHNEN, Gedanensi. Vit. Liter. Koberstein. pl. 10 $\frac{1}{2}$.

P. Iohannes Milan, ad Schwenckfeldianos coetui Romano adiungendos in Silesiam missus, cum eos ad partes Euangelicorum magis inclinare, imo ultro transire, animaduerteret, ab his eos reuocaturus, anno 1720. schedam in uulgu sparserat, qua ministros Ecclesiae Euangelicae uerum uerbum Dei habere, negat, addita proterua hac prouocatione: *Kann mich einer aus den Worts-Dienern der Lutherischen Lehre überweisen, daß* er

er das wahre Wort GOTtes habe, so verbinde ich mich selbst unter diesem Gidinge Lutherisch zu werden. Ad hanc Schedam cum responsum fuisse, in dissertatione de *Methodo Iesuitica conuertendi Schwenckfeldianos*, Vitebergae 1721. ed. altero post anno publice comparuit *Examinator methodi Iesuiticae conuertendi Schwenckfeldianos* D. IOH. GVIL. IANVS, Wittenbergensis Prof. Theol. P. in examen protractus, ac minus habens demonstratus a P. Io. Milan, S. I. Missionario Cae-sareo, Pragae, cum licentia superiorum, in quo libello autor nonnulla dictae dissertationis argumen-ta uellicat, et, quasi re bene gesta, prouocati-onem suam his uerbis repetit: *Verum te, demonstra, habere uerbum Dei, et en. tuus sum! toto cum Papatu aduolo! nae! uecors es, si tanta proposita praeda, non traheris ad demonstrandum.* Id ipsum uero in praesenti dissertatione inuicte demonstrari, et contra omnes Milani obiectiones vindicari, nullum attentiorem eius lectorem non agniturum esse, confidimus. Cap. I. *Statum contro-versiae exponit, et praeter caetera in §. VII. et VIII. ambiguitatem locutionis, habere uerum uer-bum Dei, qua aduersarius se occultare, et totam causam obscurare studuerat, euoluit.* Scilicet uerbum Dei scriptum, de quo hic unice quaeri-tur, spectari potest uel secundum materiam, h.e. literas, et uoces, ex quibus Scriptura S. constat, quo sensu uerum uerbum Dei habere, idem est, ac habere codicem Scripturae S. genuinum, non

cor-

corruptum aut suppositum; uel secundum *formam*, siue *sensum* eius. *Sensus scripturae sacrae* porro accipitur uel *abstracte* pro mente et Dei per Scripturam expressa: uel *concrete*, prout significat notio nem hominis, ex lectione, auditione et meditatio ne Scripturae S. haustam, quae si menti illi diuinae conformis est, *sensus uerus*, sin ab illa discrepat, *sensus falsus*, dici solet. Etsi in praesenti controuer sia potissimum *sensus uerbi diuini concrete* spectatus attenditur, cum praesertim Scripturam S., quam habemus, in se Θεόπνευσον esse, atque adeo *sensum diuinum complecti*, aduersarius ultro concedat: tamen etiam de sensu Scripturae S. *abstracte* accepto inter nostrates et Pontificios disputatur, utrum diuinitas eius duntaxat per Ecclesiam, siue indicio eius, cognoscatur, an simul *propter Ecclesiae autoritatem*, tanquam fundamentum fidei nostrae, credatur? quorum illud quidem, non autem hoc, a nobis conceditur. Praeterea τὸ babere uerum uerbum Dei, et uerum eius *sensum concretive* tales, intelligi potest uel *generatim* de uera et legitima methodo explicandi Scripturam S. ut cum quaeritur, utrum illi, qui, *via examinis hermeneutici*, *sensum diuinum* ex Scriptura S. eruunt, an, qui *via autoritatis* hic procedunt, et de eo credunt, credendumque esse, contendunt, quod hodierna Ecclesia Romana credit, uerum uerbum Dei habeant, ac legitime scrutentur: uel *speciatim*, de certo quodam dogmate, aut loco Scripturae S. ut, cum quaeritur, utrum uerum uerbum Dei, et uerum eius *sensum*

habent,

habeant, qui hominem peccatorem tantum per fidem, an, qui per opera, eum coram Deo iustificari, affirmant, et utrum Matth. XVI. 18. *pe tra*, cum Ecclesia Christiana superstructa esse dicitur, sit Petrus, et quicunque eius in sede Romana successor, an Christus ipse?

Omnibus hisce modis acceptum uerum uerbum Dei Ministros Ecclesiae Euangelicae habere, in Cap. II. ex instituto demonstratur. Ordinem demonstrationis ipse Milanus suppeditat, qui, rogatus, quid per uerum uerbum Dei intelligat, responderat: *ueram literam intelligo cum uero sensu*. Si ueram literam Scripturae S. cum uero sensu te habere conuiceris, indubitate, tibi esse ueram Ecclesiam, demonstrabis. Secundum hoc igitur postulatum, sequentes *Propositiones* probantur, et contra Milani obiectiones vindicantur:

Prop. I. *Ministri Ecclesiae Euangelicae habent ueram literam Scripturae S.* Prob. 1) $\pi\alpha\tau' \alpha v\vartheta\omega\pi\tau\sigma v$, quia codicem hebraeum V. T. pariter ac graecum Noui Test. cum Pontificiis communem habent. e. g. in Bibliis Complutensibus anno 1517. absolutis, et cum Leonis X. P. R. approbatione editis, speciatim Nouum Testamentum Graecum, cura Erasmi Roterodami Basileae 1516. et 1519. cum eiusdem Leonis X. approbatione impressum, qua editione Lutherus usus est, cum uersionem Noui Testamenti uernaculam conficeret, saepe deinceps recusum, et usu quotidiano tritum. Itaque Pontificii, aut se ipsos ueram literam Scripturae

pturae non habere, aut nos quoque eam habere fateantur, necesse est 2) *νατ' αλήθειαν* ex bibliorum nostrorum cum antiquissimis ueteris Ecclesiae Graecae et Latinae codicibus MStis, uersionibus, commentariis, aliisque monumentis consensu. Itaque aut nullam ueram literam Scripturae S. extare, uel unquam in Ecclesia Christiana extitisse, aut nos quoque eam habere, necesse est. Obiicitur 1) *Lutherani codicem biblicum a Romana Ecclesia acceptum mutilarunt, rescissis Iudith, Sapientiae, Tobiae, Ecclesiastici et Maccabaeorum libris*; omissis etiam *epistola ad Hebraeos, Iudee, Iacobi et Apocalypsi*. Resp. a) Etiamsi Euangelici in codice suo biblico libros quosdam canonicos omisissent, ceteri tamen, quos retinent, propterea non desinerent esse uera litera Scripturae S. Sed b) falsum est, ullum eos librum canonicum omisisse. Nam libri Apocryphi, quos concilium Tridentinum canoni ueteris testamenti addidit, sicut canonici et diuini non sunt, ita pro talibus nec uetus Ecclesia eos agnouit, nec hodierna Ecclesia orientalis agnoscit. c) Quod uero Milanus praeterea etiam Apocalypsin Iohannis et Epistolas quasdam Apostolicas e canone Noui Testamenti a nobis excludi, putat, in eo uehementer errat, et supinam religionis nostrae ignorantiam prodit. Obiicitur 2) *Anne Epistolae ad Romanos C. III. v. 28. accepistiis cum additamento SOLA?* Resp. a) haec obiectio a scopo aliena est, cum hic non de uera litera uersionum, sed fontium biblicorum dispu-

disputetur. b) Homines peccatores ex mente Apostoli, SOLA FIDE coram Deo iustificari, his ipsis uerbis agnouerunt, Basilius, Chrysostomus, Theodoritus, Ambrosius, Hilarius, Augustinus aliqui Patres, quorum loca afferuntur. c) Ipsae etiam uersiones quaedam Germanicae bibliorum ante Lutherum editae, particulam exclusiuam *Allein* et huic loco, et Gal. II. 16. ad-diderunt.

Prop. II. Ministri Ecclesiae Euangelicae habent uerum sensum Scripturae S. et ABSTRACTE, siue in literis sacris, et CONCRETE consideratum, siue animo et intelligentia nostra comprehensum. Prius uel ex praecedente probatione patet, ubi ministros Ecclesiae Euangelicae codicem Scripturae Sacrae genuinum habere, demonstratum est: nisi forte aduersarii codicem illum Φωνὴν ἀδηλού, siue nudam literam et uocum congeriem, sine certo aliquo sensu, esse, iudicant. Posterior probatur 1) a priori, ex methodo Ecclesiae Euangelicae hermeneutica, qua Scripturam ex ipsa Scriptura, hoc est, ex consideratione textus, contextus, scopi et parallelismi, explicamus. Hanc enim methodum esse legitimam, demonstrat & communis scripta quaecunque interpretandi ratio, praecipue testamenta, secundum leg. 9. ff. de Transact. cum quibus non tantum Patres ueteris Ecclesiae, nominatim Optatus Mileuitanus L. V. contra Parmen. sed ipsi etiam Apostoli Scripturam S. in hac parte compararunt. Gal. III. 5. □

auto-

autoritatis Christi et Apostolorum , qui iubent Scripturas *scrutari*, et inter se *comparare* Ioh. V. 39. Act. IX. 22. XVII. II. XVIII. 28. Exempla ue- teris Ecclesiae , quae cum Hilario , dictorum in- telligentiam ex dictis expectandam , non iis im- ponendam , censuit. 2) a posteriori , ex singulo- rum dogmatum nostrorum cum Scriptura S. con- sensu , quem Pontificii uel inuiti agnoscant , dum ex Scriptura S. cum Lutheranis disputandum esse , negant , et dogmata sua , nostris contraria , ex Scriptura probari non posse , apertis uerbis pag. 12. et 23. citatis , fatentur. Obi. 1. *Anne* , quod uerba , e. g. *boc est corpus meum* , significant *corpus Christi* sub *pane* et *cum pane* , a *Catholica Ecclesia accepisti*? *Anne*? quod uerba : *si uis ingredi ad uitam* , *serua mandata* , *imperfectam mandatorum significant observationem* , *catholica te docuit Ecclesia*? *nil minus*. Resp. a) Quod uerba citata Institutionis non transubstantiationem Papalem , sed *communionem corporis Christi cum pane* significant , praeter tres Euangelistas clare docet Paulus 1. Cor. X. 16. XI. 26. 27. idemque uetus Eccle- sia docuit , a qua hodierna Ecclesia Romana de- fecit. b) Verba Christi ex Matth. XXIX. 17. ci- tata de imperfecta mandatorum obseruatione a nobis explicari , falsissimum est. Obi. 2. Si Luthe- rani ueram literam cum uero sensu a Romana Ec- clesia acceperunt : *necessere est* , *fatearis* , *eam tunc habuisse ueram literam cum uero sensu* , *consequen- ter ueram tunc fuisse Ecclesiam* Resp. Sophistice

con-

confunditur uerus sensus Scripturae S. abstracte spectatus, qui ipsi codici Scripturae Sacrae inest, cum concretius accepto, quem homines inde hau- riunt, imo cum illato, quem Pontificii Sacrae Scripturae affingunt. Non hunc, sed illum cum uero litera Scripturae S. nos a Romana Ecclesia accepisse, dicimus. Obi. 3. Omnes haeretici, aequi ac Lutherani, ad Scripturam prouocant, unde ergo scire et conuinci possum, hoc potius, quam illos, habere uerbum Dei? Resp. a) aliud est, prouocare ad Scripturam, aliud dogmata sua ex ea probare. Illud, non hoc, haeretici facere possunt, quia alias Scriptura S. sibi ipsi contradiceret, et per se natus cereus esset, quod tamen Milanus ipse dicere non audet. b) ostendat uero dis- sentiens, uel unicum dogma fundamentale Ec- clesiae nostrae, quod non ex Scriptura S. probari possit, et abunde probatum sit. c) ne hoc qui- dem uerum est, quod omnes sectae, aequi ac ministri Ecclesiae Euangelicae, Scripturam S. pro norma religionis suae agnoscant. Nam Socini- ani, ceterique Rationalistae rationem, Fanatici lumen suum internum, Pontificii autoritatem Pa- palem ducem sequuntur, idque aperte p[re]se ferunt, Scripturam S. uero, si quando dicis causa ad eam prouocant, ad haec principia sua uel inuitam, contorquent. d) Si serio scire uelit Milanus, cuius sectae dogmata sint uerum uer- bum Dei, siue menti diuinae conformia, quae minus, utatur consilio Christi, Ioh. V. 39. et Apostolorum 1. Thess. V. 21. 1. Ioh. IV. 1. 2. Pe- tri I. 19. quod si, exemplo Beroeensium, in fin-

gulis quibusdam dogmatibus controuersis, quorum exempla quaedam ei suppeditantur, debita cura et docilitate obseruauerit, facile, quid dissent aera lupinis, cognoscat, et per gratiam Spiritus Sancti, in Scriptura loquentis, nisi malitiose ei repugnauerit, de ueritate diuina conuincetur, secundum Ioh. VI. 29. Eph. I. 19. II. 18. I. Petr. I. 5. e) Quod uero non omnes, hac uia, ad ueritatis agnitionem perueniant, causa est, *partim* negligentia hominum $\alpha\mu\alpha\vartheta\omega\eta\alpha\sigma\eta\gamma\eta\tau\omega\eta$ 2. Petr. III. 16. *partim* malitia et pertinacia $\alpha\mu\alpha\vartheta\omega\eta\alpha\sigma\eta\gamma\eta\tau\omega\eta$, Tit. III. 11. qui non obediunt Evangelio 2. Thess. I. 8. Male ergo infertur: haec *doctrina* non ab omnibus pro uerbo Dei agnoscitur, ergo non est uerum uerbum Dei. Obi. 4. Sed quis iudex definiet, quinam recte *Scripturam S.* percepit, qui minus? Resp. Summo quodam iudice ac tribunali humano opus est in litibus forensibus de meo et tuo, minime uero in controuersiis de uero et falso, cuiusmodi e. g. sunt grammaticae, mathematicae, medicae, etc. ubi sane ineptus es-
set, si quis omnia, quae a nonnullis impugnata sunt, propterea diceret esse incerta, aut falsa, quia non extet iudex aliquis summus Grammaticus, Mathematicus, Medicus etc. Nam in his controuersiis iudicis loco sunt euidentes ratio-
nes, omnium artis peritorum consensu approba-
tae, contra quas imperitorum errores non atten-
duntur. Pari modo in controuersiis Theolo-
gicis iudex legalis est ipsa *Scriptura S.* per se clara et perspicua 2. Pet. I. 19. Hebr. IV. 12. Ioh.
XII. 48.

XII. 48. Iudex uero personalis summus et authenticus est Spiritus S. ministerialis minister Ecclesiae, Act. XV. 28. Hanc de iudice controueriarum fidei sententiam antiquissimae Ecclesiae fuisse, Augustini et Optati Mileu. testimonio probatur. Prop. III. *Hanc Scripturam esse uerum uerbum Dei, per Ecclesiae quidem indicium cognoscimus, minime uero propter Ecclesiam nedum Pontificis R. autoritatem, sed propter criteria diuinitatis, in ipsis scripturis deprehensa credimus, et per testimonium Spiritus S. internum de eo conuincimur.* Obi. 1. *Quod absque uerbo Dei non scripto et Romanæ Ecclesiae autoritate omnino impossibile sit ostendere, ueram uos habere literam, eiusque sensum legitimum, poteras aperte uidere ex Irenaeo etc.* Resp. Contrarium ex argumentis iam in dissertatione de methodo Iesuitica, § 17. allatis, et hic ex parte repetitis patet. Irenaeum uero L. III. c. 3. haereticos, qui traditiones dogmaticas non scriptas Sacrae Scripturae opponunt, uel adiungunt, data opera refutat, et Romanam pariter ac Smyrnensem, omnesque alias Ecclesias orthodoxas nullam traditionem, h. e. doctrinam de fide christiana habere demonstrat, quam quae scriptis Prophetarum et Apostolorum continetur. Itaque ad eius cum Pontificiis in hac parte consensum non sine summa impudentia prouocatur. Obi. 2. *Quod ais: fide certa Scripturae S. assentimur, quia ex ipsa Scriptura, diuinitatem suam prodente, arguente et confirmante, efficacissime de ea conuincimur, ridiculum*

culum certe est et lepidum! In Epist. ad Hebreos, Iudae et Iacobi nulla tibi relucet diuinitas, quomodo ergo relucet Caluino? e contra in epistola Iohannis relucet tibi diuinitas, quomodo ibi non relucet Caluino? etc. Resp. a) fundamentum huius obiectionis, in Milani ignorantia positum, iam supra in responsione ad obiectionem 1. contra propos. I. euersum est. b) Ridiculum uero ipsi ac lepidum uideri, quod Scriptura S. per interna quaedam Κειτήρια diuinitatem suam prodat, arguat, et per testimonium Spiritus S. in cordibus credentium confirmet, id tanquam corruptissimae religionis Iesuiticae, omni interna conuictione destitutae, atque adeo mere hypocriticae, commiseratione potius, quam refutatione dignum est. Obi. 3. Cur in Epistola ad Laodicenses nulla tibi relucet diuinitas, cum de ea tamen clarum diuini Pauli ad Col. IV. 16. extet testimonium? Resp. Neque expistola quaedam Apostolica ad Loadicenses, neque clarum Pauli de ea testimonium extat. Nam ad Col. IV. 16. memoratur tantum epistola επι της λαοδικειας h.e. ut uersio uulgata h. l. transtulit, *Laodicensium*, siue a Laodicensibus ad Apostolum scripta: quo sensu Chrysostomus, Theodoricus, Oecumenius, et alii uerba haec Pauli acceperunt. Obi. 4. Quod Scriptura S. sic Θεοπνευση δύναμις της θεοτητος, in omnium reperitur bibliis, Arianorum - Caluinianorum, et Socinianorum etc. ergo omnes profitentur, se uerum habere Dei uerbum; omnes conuidentur, se ueram habere Ecclesiam. Resp. Denuo aduersarius confundit, uerum uerbum Dei, siue sensum

senium eius, *abstrakte*, et *concrete* sic dictum: Non omnes, qui illum in libro, sed qui hunc in corde habent, ad ueram Ecclesiam pertinent, ex eoque se uerum uerbum Dei habere, conuinci posunt. Obi. 5. *At unde te ueras habere Scripturas, conuincis? ex scipturis? ridiculum. De his quaestio est.* Resp. Hoc non magis ridiculum est, quam si quis solis ortum probaret ex radiis solaribus in oculos nostros incurrentibus, aut si quis orationem uel epistolam alicuius Ciceronis esse, ex ipsa epistola, autorem suum p[ro]ae se ferente, et nihil eo indignum complectente, probaret.

In Capite III. Quod hodiernae Ecclesiae Romanae ministri uerum uerbum Dei non habeant, simili methodo demonstratur. Ac primo quidem Ecclesiae Catholicae sive uniuersalis ab Ecclesia particulari, et speciatim ab hodierna Romana, discriben, gratis et perperam a Milano negatum, clarissime ob oculos ponitur, et communis ueteris Ecclesiae consensu agnatum fuisse, probatur. Postea propositiones demonstratae hoc ordine se excipiunt, *Propos. I. Ministri hodiernae Ecclesiae Romanae non habent ueram literam Scripturae Sacrae*, dum uidelicet versionem latinam uulgatam iu multis aberrantem, pro authentica amplectuntur, ipsisque fontibus praeferunt, quam sententiam esse Concilii Tridentini, ex historia eius, et clarissimis Pontificiorum testimoniiis contra non-nulos aliter sentientes demonstratur. *Propos. II. Speciatim P. Ioh. Milanus non habet ueram literam Scripturae S.* dum scilicet hodiernum Euange-

lium Matthei Hebraicum pro textu originali uenditat, et, quod Scriptura sit Θεοπνευση̄ δύναμις τῆς θεοῦ, in omnibus bibliis reperiri, scribit, pro: λόγια τῆς θεοῦ Rom. III. 2. semel iterumque scribit λογίαν τῆς θεοῦ etc. *Propos. III.* Ministri Ecclesiae Romanae non habent uerum sensum Scripturae Sacrae, dum uidelicet Spiritum S., a quo Scripturarum intelligentia peti et subministrari debet, non in ipsis Scripturis quaerendum, sed aliunde, puta, ex scrinio pectoris Papalis, habendum esse, his ipsis uerbis, a Milano denuo defensis, pugnant, et placita quaedam pro articulis fidei fundamentalibus uenditant, quae ipsi ex Scriptura Sacra probari non posse, fatentur. *Propos. IV.* Argumenta, quibus P. Milanus demonstrare studet, quod Ecclesiae Romanae ministri habeant uerum uerbum Dei, molae illius cause infirmitatem non iuvant, sed magis produnt. Argumenta Milani hoc redeunt: i. *Quaecunque Ecclesia est uera, illa habet uerum uerbum Dei.* Atqui Romana Ecclesia est uera. Ergo. Minor probatur, quia illa aliquando uera fuit, fatente Luther. Atqui uera Ecclesia, secundum Christi promissum, Matth. XVI. 18. XXVIII. 20. etc. uitiari nunquam potuit, Resp. a) in maiori perperam atque inuerso ordine norma diiudicatur ex normato, cum ita potius, sit inferendum: Quicunque coetus habet et sequitur uerum uerbum Dei, ille est uera Ecclesia. sec. Ioh. VIII. 3. et 47. c. X. 3. b) negatur minor, et ad probationem eius respondetur, quod Christus de Ecclesia

clesia uera et uniuersali dixit, id perperam ad particularem, immo falsam et apostaticam trahi. Promisit enim Saluator, se coetum aliquem fidelium in his terris conseruaturum esse, sed quod speciatim Romae, Hierosolymae, Corinthi, Ephesi, uel alio quodam determinato loco, uera Ecclesia usque ad diem extremum constanter permansura sit, nusquam praedixit, nedum ullius particularis Ecclesiae Episcopis religionis Christianae arbitrium, aut infallibilitatis priuilegium, iure successionis propagandum tradidit. Sicut ergo in multis aliis locis Ecclesia Christiana uitiata, immo sublata est, ita Romae idem fieri potuit.

Argumentum 2. *Genuinae interpretandi Scripturam, S. regulae sunt, Qui uos audit, me audit* Luc. X. 6. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII. 17. *Qui nouit Deum, audit uos.* I. Ioh. IV. 6. Resp. a) male confunduntur ministri interpretantes cum regulis, siue principiis interpretandi uerbum Dei b) ex illis hos tantum Christus audire iubet, qui sunt genuini discipuli et legati eius, et horum character et, manere in sermone Christi. Ioh. VIII. 31 Tales uero non sunt hodierni ministri.

Argumentum 3. *Ecclesia Romana et cathedra eius a Patribus uocatur Apostolica.* Iam uero apud cathedram Apostolicam auditur uox apostolica, quam, ut uerbum Dei, Christus recipi mandauit. Resp. a) totum hoc argumentum nititur auctoritate hominum, qui Ecclesiam Romanam dixerunt Apostolicam,

stolicam, atque adeo fidem diuinam gignere non potest. b) Patres locuti sunt de Ecclesia Romana ueteri, non de hodierna, qualem concilium Tridentinum re praesentat. c) Idem alias quoque Ecclesias dixerunt Apostolicas, non propter successionem in locum, uel cathedralm, alicuius Apostoli, sed propter recentam doctrinam Apostolicam. Cum uero hanc Ecclesia Romana aper te deseruerit, dictum sibi pater illud Ambrosii: *Petri haereditatem non habet, qui Petri fidem non habet.*

* * *

Inter eos, qui Academiam nostram illustrant, non ultimum sibi locum uendicat **Vir Magnificus, D. GODFR. LVD. MENCKEN,** ICtus, uel solo nomine commendatissimus, qui de Iurisprudentia bene mereri hactenus omni studio annititur. In primis disputando frequenter Iuuenum excitare ingenia, ea que occasione ea, quae in collegiis, quibus Ipse interest, Iuridicis, disceptari solent, ulterius excutienda proponere, laudabili instituto consuevit. Ita d. 29. Iunii. Ann. M DCC XXIII. *Fori aliquot Observationes*, Praeses, in cathedra propo suit, quas Dn. AVG. MOEBIVS, Martinskirchens. Misn. publice defendit. Vitemb. lit. Viduae Gerdes. pl. 2.

Observationes hae sunt: Observatio I. Mo to concursu, Vsusfructus mariti expirat, et uxori dos

dos et bona paraphernalia restituenda sunt. Obs. II. Quibus operibus liceat rusticis per foeminas defungi, domini est arbitrii. Obs. III. Aquam, si in praedium nobili deficiat, quatenus aduehere rusticis ad equestres operas praestandas obligatis incumbat. Obseru. IV. Refutatio feudi in proximum simultaneum inuestitum sine consensu Domini facta non sufficit, ut Vasallus feudo priuari possit. Obseru. V. Pecunia, quae pro optione feudi debetur, non a feudalibus, sed allodialibus successoribus soluenda est. Obseru. VI. Iuri detractus petendo non nisi annis iure communi et in Saxonia 31. ann. 6. Sept. et 3. dieb. praescribitur. Obseru. VII. Residuum ex pretio, quo feudum emtum est, ad debita feudalia recte refertur, adeoque ad successores feudi eius solutio pertinet, idemque obtinet, si pro parte feudi emta pretium integrum non sit solutum. Obseru. VIII. Rusticum quoque intra annum et diem inuestiturae renouationem petere debere, par est. Obs. IX. Cohaeres cohaeredi etiam ad incertas, aut euictioni expositas, res haereditarias diuisas euincendas tebetur. Obs. X. Actioni redhibitoriae iuri retractus exercendo inferuenti anno ciuili utili praescribitur, nec pecunia ante, quam ubi super iure redhibitionis non amplius disceptatur, solvenda est.

* * *

D. VIII. Iulii, Pro Licentia, de Scirrhis uiscerum, occasione sectionis uiri tympanite defuncti.

in quo, praeter alia notatu digna, scirrhus lienis singularis carnosus obseruatus fuit, sub Praesidio ABRAHAMI VATERI, Philos. et Med. Doct. Prof. Publ. et Botan. atque Anat. Substit. etc. disputauit CHRISTIANVS SIGISMUNDVS EZLERVS, Dobriluccensis Lusat. Vitemb. lit. Gerdesianis. pl. 3.

Praefatio chronicorum morborum indolem delineans, quam male saepe phthisis pulmonalis, cum aliis morbis confundatur, ostendit; Quod huic succedens historia morbi magis manifestat, in qua praecipue obseruanda: icterus saepius recurrens, hunc demum subsequens asthma, tussis frequens, modo humida, modo sicca, dolor lateris sinistri punctorius, calor et sudor hecticus, irrita remediorum pectoralium exhibitio, aperientium e contra et laxantium utilitas, morbi, ob peruersum diaetae atque irae usum, recidiua, ac hanc excipiens mors, quam cadaueris sectio sequebatur. In defuncti autem corpore, sequentia notatu digna obuenerunt: Abdomen flatibus distentum, librisque aliquot aquae feculae repletum; Hepatis scirrhositas ac nodis et tuberculis notata inaequalitas; Pancreas ad cartilagineam fere substantiam induratum; Lien naturalem magnitudinem longe excedens, ualde durus et ponderosus, in quo dissecto interne substantia spissa densa ac rubicunda, instar petasonis porcini fumo leuiter indurati, fuit reperta. Horum

rum vero omium explicatio sequentibus iam the-
fibus traditur. Thes. I. Ut multa hic adfuerint
phthiseos pulmonalis signa, attamen sectionem de-
monstrasse, haec omnia ex scirrhis viscerum abdo-
minis orta fuisse, indicat, cum descriptione scir-
rhi, causis huius, et partibus huic morbo maxime
obnoxiiis, His II. Hepar praecipue annumerat,
quod, ob sanguinis illud pertransirentis viscidita-
tem, motusque tarditatem, ad recipiendam scir-
rhositatem maxime accommodatum fertur. III.
Varias scirrhorum lienem obsidentium species
exhibit, ubi modo exterior substantia cartilagi-
nea fuit obseruata, modo totum lienem in lapi-
deam aliquam duram materiam mutatum de-
prehenderunt. IV. Affert obseruationes pan-
creatis scirrhosi, et malorum exinde enatorum,
quatenus exinde non modo succus pancreaticus
deficiat, sed ipse ductus cholodochus comprima-
tur, ipseque bilis in duodenum introitus impe-
diatur. V. Causam scirrhorum materialem col-
locat in humorum visciditate et crassitie, cui e-
mendanda non conueniunt antiphthisica, sed re-
soluentia, aperientia atque euacuantia. VI. Inter
causas scirrhorum occasioales, commemora-
tione praecipue dignam iudicat indecentem morbo-
rum quorumuis curationem, qua, impuritates
praecipitatae atque ab exitu cohabitae, iam dicto
morbo saepe somitem praebent. VII. Scirrhor-
um in praesente cadavere repertorum, ratione
materiae, uarietatem, a uaria succorum in visceri-
bus stagnantium conditione repetit. VIII. Ma-
teriam

teriam scirrhi in liene, sive ipsum sanguinem, ob hepatitis scirrhositatem in motu impeditum, et hinc crassiores redditum, evincit. IX. Certa signa diagnostica scirrhorum in interioribus partibus, non adesse, pronunciat. X. Qua ratione respiratio, chylificatio, scirrhis in abdomen latentibus turbentur, polypique exinde in corde et vasis sanguiferis generentur, tradit. XI. Scirrum incipientem difficulter curari, perfectum in abditis haerentem partibus, plane incurabilem esse, demonstrat. XII. Ex eodem, inquit, fonte, rationem deriuandam, cur morbi chronicci, ex viscerum scirrhositate orti, nempe icterus niger, febris quartana, nullam admittant curam, nisi ipsa natura criticam per haemorrhoides sanguinis feculenti moliatur excretionem, quae tamen sedulo a fluxu alui cruento et mucoso, cum torminibus, anxietatibus cordis, ac lipothymiis coniuncto distinguenda. XIII. et ultima thesis, quomodo hydrops a scirrhis oriatur, exponit, cum annexo prognostico, de instanti huiusmodi aegrotorum morte.

* * *

D. XI. Iul. Ordinis Philosophici DECANVS
MARTINVS HASSEN, Morali-
um et Ciuilium Prof. Publ. idem-
que hoc tempore Imperiali autori-
tate constitutus Comes Palatinus,
Philosophiae atque artis Poëticae Candidatos ad
solemnia, d. XVI. Octobr. rite celebranda, inui-
tauit sequenti hoc Programmate :

Postulat

Postulat a me, Amplissimi Collegii Decemviralis iterum Praeside, muneris ratio, ut *Magistrorum Poëtarumque creandorum solemnia*, sub semestris, quod labitur, spatii finem, more institutoque maiorum recolenda, indicam, idque tali scripturae genere, quod argumentum, ex morali et ciuili, quam profiteor, disciplina enucleatum, complectatur. De eo laboranti, in mentem mihi incident, inclytae Vniuersitatis Aldorfinae Senatum in publicis illis literis, quibus sacrum seculare, proximis celebratum diebus, denuntiauit, suam bonarum literarum sedem Palladii nomine insignisse, animo ad ueterem intento Graeciam, quae diuini fauoris pignus publicaeque salutis praesidium in isthoc Palladis simulacro, quippe coelitus delapo, sibi constitutum habuisse traditur. Quae traditio cum antiquis potissimum poëtis accepta referatur, occasionem hinc nactus sum disceptandi, an homini senioris Philosophiae puriorisque Religionis studio rebus fictis commentitiisque, paganorum maxime poëtarum, uti conueniat. Evidem non ignoro, esse etiam nunc doctores, qui, omnes promiscue poëtas fabularumque conditores ex orbe terrarum, saltem Christiano, ideo proscribendos esse, contendunt, quia lascivientibus rhythmis, syllabarum numeris ac ponderibus, nominumque inani strepitu stultorum hominum aures demulceant, fabularum oblectamentis mendaciorumque centonibus decipiunt animos, uehementiore affectuum concitatione prauos induant mores, effusa perstringendi licentia

licentia innocentissimis etiam hominibus insultent, temeraria idolorum gentilium usurpatione nomini Christiano maculas inurant, amabilis denique insaniae (*ἐνθεσιασμός*) dulcedine capti, in confessandis uanae doctrinae umbris se totos collectent, et tantum non omne uitae tempus in otioso nugarum studio consumant. Verum in poësi ac fabulosa dicendi ratione usus ab abusu probe secerni, neque ea, si forte a corruptis hominibus in prauitatis instrumentum conuertitur, statim resici, suoque, quem apud omnes semper populos obtinuit, loco deturbari debet. Hoc sane poëtice fingendique arti cum ceteris est commune, ut a bonis et intelligentioribus bene ac sapienter, a malis et insipientioribus male stolidaque adhibeatur, non aliter, ac gladius puero, aut furioso in perniciem cedit, homini aetate sensuque ualenti in salutem. Pessimus poëmatum fabularumque est usus, si sancta fidei uitiaeque Christianae ratio licentiore uiolatur carmine, si animi mollities fescennino alitur cantu, si charitas hominum contumeliosa laeditur scriptura. Vnde colligi potest, quanto errore ducantur ii, qui, patefactam diuinitus doctrinam ex paganorum fabulis exsculpere gestientes, modo hanc, modo aliam sacrae historiae partem in poëtarum somniis quaerunt, et, si quam comparationis speciem improba eruerunt meditatione, quasi pueri in faba, nescio quid reperisse sibi uidentur, immo, cum Stolterfooto, sanctissimum Dei Filium cum furibundo ebriosorum patrono, Baccho, ideo conferr

ferri posse, disputant, quia hic aequa ex utero matris, Seimeles, et femore patris, Louis, editus, et ita bis ortus dicatur, atque is a Deo Patre ante secula sit genitus, ex uirgine autem matre in seculo natus. Sic sacratissima ueritatis coelestis capita, ob uanam ingenii ostentationem, ad fuitiles detorquentur fictiones, et profligata dudum idola, ad aucupandam doctrinae subtilioris gloriam, quasi reuocantur. Neque enim aliam, arbitror, caussam subesse, cur homines, existimationi potius, quam pietati seruientes, in uetus poëtarum carmina tantam insument operam, quam quia, reconditam in eis sapientiam latere, opinantur, nullumque carmen, nisi quod Ioues, Apollines, Mercurios, Neptunos, Veneres, Cupidines, et sexcenta istiusmodi idolorum nomina sonet, homine litterato dignum iudicant, pictoribus sculptoribusque non absimiles, qui eas demum imagines scite ingenioseque censem effictas, quae lasciuientem Ouidii metamorphosin redoleant. Quo sit, ut fere nullum siue epithalamium, siue epicedium, siue elogium scribatur, in quo non Venus, eiusque filius, Cupido amorem conciliast, Atropos uitiae filium abrupisse, Mars, Apollo, aut Pallas coronam, sertum, laureamue dedisse fingatur, idque uerbis non tantum contrariis, atque inter se repugnantibus, sed etiam impuris et sacrilegis, ueluti cum Cupido modo admiranda potentiae Deus, cordiumque humanorum dominator, modo paruus nebulo, uirginumque raptor, ad fraudem ingeniosus, dicitur. Accedit, quod alii, plenum

com-

composituri carmen, Musas, Dearum nomine salutatas, inuocant, alii paganas iurandi formulas, medius fidius, mehercules, mecastor, aedepol, adhibent, alii denique per affectatam uerborum translationem, (*ἄλλης οἰπίας*) solem Apollinis, lunam Diana, mare Neptuni, uinum Bacchi, fruges Cereris, quin Deum Iouis nomine nuncupant. Hoc autem quid aliud est, quam Christianam libertatem in nefariam trahere licentiam, et alienis a uera pietate uerbis turpem animi lusum exerce-re, adeoque Christianae religionis puritati nugis paganis labem adspergere ac coenum? Non itaque mirum, ueteres Ecclesiae Patres, Augustinum, Tertullianum, Hieronymum, aliasque, tam dictis, quam factis, insigniorē professos pietatem, tales loquendi modos acriter reprehendisse, eos sacrilega nomina, noxias figurās, paganorum portenta, porcorum siliquas, immo uerborum idolatriam uocando. Hanc etiam ob causam omnes poetae Christiani, in quorum animis sanctior insedit religio, sigillatim Prudentius, Paulinus, Alcimus Auitus, Iuuencus, adeo a commen-tatio et inani sibi temperarunt sermone, ut idoli nomen sua ingredi carmina nunquam passi fuerint, nisi cum uesana paganorum impietas descri-benda esset atque explodenda, Quod si autem profano poësios fabularumque usu grauiter in Deum peccatur, mala profecto carmina et com-menta etiam hominibus plurimum nocere pos-sunt. Quantam nominis infamiam, quantum fortunarum naufragium, quam foedum denique sup-

supplicium ei plerumque subeant, qui maledico
 alios uersu scriptoue satyrico ferociter infectari
 audent, innumera docent exempla. Quo grauior
 autem famae, bonorum, ipsiusque uitiae amissio-
 ne animae est pernicies, eo peiora etiam scom-
 matibus libellisque famosis ea sunt poëmata ac
 scripta fabulosa, quibus tenerae corrumpuntur
 mentes, siue, ut sacra loquitur Scriptura, infir-
 mi perduntur fratres. Notari hoc nomine me-
 rentur, praeter carmina amatoria, cantusque, ut
 supra dixi, fescenninos, Milesiae etiam fabulae,
 quas Romanticas, seu Romanenses vulgo appel-
 lant. Evidem non nego, dari in hoc libro-
 rum genere quosdam, quibus materiae grauitas
 castitasque styli aliquam assert commendationem,
 sed magna horum est paucitas, infinita contra eo-
 rum multitudine, qui ludicra tractant argumenta,
 loco uirtutis uitiorum semina in legentium ani-
 mos spargunt, impiisque et lasciuis fabulis ho-
 mines ad libidinem impellant, moresque deprava-
 tiant, uti, post Huetium, Heideggerum, Pa-
 schium, aliosque melioris notae scriptores, recie-
 iudicauit elegantissimi ingenii foemina, doctissi-
 mique Senatoris Ratisbonensis, Io. Ludou. Pra-
 schii coniux, Susanna Elisabetha Taboria. Qua-
 re cacatae eiusmodi chartae, ut Volusii an-
 nales vocabantur, non magis propter unam alte-
 ramue sententiolam, forte inspersam, legi me-
 rentur, quam sterlus, aut simum ideo perqui-
 rendum est, quod nonnulla tritici grana in eo
 possint inueniri. Tot tamque graues historia-

rum conditores morumque magistri extant, unde uirtutum uitiorumque exempla internosci, recteque uiuendi praecepta hauriri possunt, ut dubiis eiusmodi fabulatoribus carere per sit facile. Ex hactenus dictis manifeste quidem apparet, poëmatum fictionumque uarium dari abusum, tantum tamen abest, ut eam ob caussam poëtica omnis omnisque historia fabularis ex literata Christianorum republica eiici, ut potius, si sobrie cauteque adhibeatur, foueri in ea colique debeat. Sermo et scriptura instrumenta sunt, hominibus iccirco data, ut eisdem ad Dei gloriam et suam aliorumque hominum salutem utantur. Quoties itaque uorsa potius, factaue oratione, quam prosa, aut simplici, finis hic obtineri potest, quidni illa præ hac uti licere, statueremus? Hanc uero elocutio, poëtico adstricta numero, præ soluta uim habet, ut, inflammato animi motu, homines ad ineundam, quae traditur, uiam impellat. Similiter fabulae, ad utilitatem uirili quadam prudentia inuentae, ($\mu\bar{\nu}\vartheta\alpha$) non ad uoluptatem anili quasi deliratione proditae, ($\lambda\bar{\eta}\varphi\alpha$) id efficere possunt, ut amara alioqui uirtus, iucundo tecta inuolucro, sensim in animos influat, eosdemque depulsis uitiorum morbis, longe facilius curet, quam si nuda seueris inculcetur præceptis, haud secus, atque opobalsamum, per se ipsum ac sua sponte e balsamo destillans, et pretiosius habetur, et sanandis uulnibus multo aptius, quam ferri violentia exprefsum. Quanta uero narrationis fabulosae in ci-

uili

uili quoque prudentia sit efficacitas , exemplis
sat luculentis comprobant Demosthenes et The-
mistocles , utpote quorum ille a ciuibus suis , ut
oratores urbis , populum ad arma excitantes ,
Philippo , eosdem postulanti , recusarent , apolo-
go luporum , ouibus amicitiam spondentium ,
modo canes traderent , feliciter impetravit , hic uero
uetarem magistratum excutiendi consilio fabulam
de uulpe , muscas , sanguinem trahentes , ne aliis ,
nondum pastis , locum faceret , excutere nolen-
te , perbelle opposuit . Quid ? quod tales etiam
apologi in diuinioribus occurrunt literis , uerbi
gratia , de lignis , Regem sibi constituentibus ,
Iudic. IX. 8. et de carduo , cedri filiam , filio suo
despondendam , poscente , II. Paralipom. XXV. 18.
Omitto frequentes in Nono Codice parabolas ,
quibus humanae salutis Restitutor deportatam e
sinu paterno sapientiam mortales docuit . Nec
saeculam hic commemorare poësin necesse habeo ,
cum uel soli hymni Dauidici instar omnis sine
testimonii , etiam uiros , diuino concitatos afflatu ,
uersus uariis modis ac numeris fudisse . Hinc
uti Franc. Gomarus , Groeningensis quondam do-
ctor , in lyra Dauidis antiquam gentis Ebraeae
poësin demonstrauit , ita praestantissimam hanc ar-
tem apud alios itidem populos floruisse , pree-
aliis neruose exposuit C. S. Schurzfleischius , im-
mortalis uir nominis , in dissertatione , munera
poëtici auspicio præmissa . Sunt etiam , qui ,
quanta doctrinae et uirtutis laude excelluerint
poëtae , quantosque honores inde sint consecuti ,

memoriae prodiderunt. Hos uero nominatim percensere, hoc magis superuacaneum duco, quod nostra etiam Academia de eiusmodi exemplis gloriari potest, ex quibus, quoniam cuncta non caput chartae angustia, unicum, idemque adhuc superstes, nobis sufficiat, nempe Illustris noster BERGERVS, qui, ut multiplici est eruditione, et uirtute singulari, pura, nec ulli unquam molesta poesi pariter, ac copiose ornateque differendi sapientia, a summis Principibus maxima honoris insignia et ornamenta reportauit. Eximum praeterea arti poëticae decus eo accessit, quod Potentissimus REX noster, pro incredibili sua benignitate, abhinc annis duodecim, cum Interregis in Imperio Romano-Germanico partes sustineret, Philosophico, cui nunc praesum, Ordini poëtas creandi facultatem tabulis, solemniter scriptis signatisque, concessit. Cum itaque tanta poësios perinde, ac sapientiae ceterarumque artium ingenuarum dignitas sit ac praestantia, agite nunc, aequi rerum aestimatores, agite, Candidati dignissimi, uestrum in eiusmodi studia amorem comprobate, et die XVI. Octobris ad *Magistri laureatique Poëtae*, honorificentissimorum nominum, titulos, ex facili Patrum suffragatione, me diribitore, pio festoque ritu capessendos, tempestiui ac frequentes conuenite. Quod faxitis, Deus fortunet! P. P. Dominica VII.

post Trinitatis anno instauratae salutis

M DCC XXIII.

* * * Die

* * *

Die XIII. Iulii Dissertatio solemnis Medica,
tradens Observations Chirurgicas Medico - Pra-
cticas, Praeside D. MART. GOT-
HELFF LOESCHERO, Phys. et
Med. P. P. etc. pro Licentia a GEOR-
GIO PHILIPPO SAVBER,
Rottenburgo Tubarino publice proposita
fuit. Wittenb. prelo Gerdesiano p. 2*½*.

Dissertatio haec continet Observations se-
quentes, quarum I. Vulnus abdominis profun-
dum sinuosum et tortuosum feliciter curatum.
II. Spina uentosa eiusdemque sectio Anatomica.
III. Nyctalopia seu uisio in luce plena dolens,
et in tenebris integra. IV. Vulnus capitidis explo-
sione bombardae minoris, eiusdemque solis
globulis minoribus summa uehementia inflictum,
felici cum successu curatum. V. Amputatio pe-
dis Gangraena corrupti feliciter peracta. VI.
Strumarum Curatio per resoluentia. VII. Vlcus
pulmonum Thoracem perforans. VIII. Polypus
Pulmonum expectoratione reiectus, quae Ob-
seruatio est rarissima, quia aegrotans in hanc
usque diem pancratice uiuit, et Auctor ipsum
ob hanc causam in liquore a corruptione vindicat.
IX. Halo seu Corona Solis his diebus obser-
uatus. Halonem hunc Auditoribus suis in Colle-
gio Physico Experimentali magna frequentia ad
ipsum confluentibus demonstrauit Auctor, eius-
demque Phoenomena exposuit.

* * *

Die XXIV. Iulii MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR ad solemnum Orationem, in Memoriam Viri Generosissimi, HERMANNI DE WOLFRAMSDORF, magni nostratium Patroni, habendam, Cives Academicos sequenti inuitauit Programmate:

Quam hominum generi amicum, doctis in primis beneficū, tam erga Numen gratum religiosumque, praebuit se HERMANNVS VVOLFRAMSDORFI VS, cum bonis diuinis acceptis sic uteretur, ut, in praecipuo Saxoniorum Purpuratorum gradu locatus, quantum auctoritate bonos tueretur, tantum opibus inopes, literis maxime deditos, subleuaret. Mysteria Cereris et Bacchi magna religione caerimoniaque uetus celebrauit Graecia, quorum memoria tum priscis proditur literis, tum aliis mandata monumentis extat, ipsoque expressa ritu, in figuris antiquis, uiuis quasi spirantibusque, seruatur. Dignus hic, qui referatur, dignus, qui spectetur, Onyx ille, mirae antiquitatis artisque ac magnitudinis, quem primum, ex manubib[us] in Italia Mantuanis, a milite quodam gregario, centum Aureis, redemit Franciscus Albertus, Dux Saxoniae Inferioris, post, hereditate materna relictum, in Pinacothecam suam intulit Ferdinandus Albertus, Dux Brunouicolumaeburgicus, nec secius custodiuit, ac magnum paruulae molis thesaurum. Ex quo quidem Lapide fictum insculptisque

ptisque signis exornatum, uasculum tanti sit ab huius gazae intelligentibus, ut, eorundem iudicio, par ex onyche integro in Europa non inueniatur, hocque idem iam pridem aestimatum sit centum quinquaginta millibus Ioachimicorum, sed habeatur longe maioris. Hic, si primo eruditissimoque eius explanatori, Ioanni Henrico Eggelingio, credimus, non alia, quam Cereris et Bacchi Mysteria effinguntur, sed cum iis pariter conditur compendiarium Theologiae apud ueteres superstitiones mysterium, quo cetera corruptae istius Theologiae capita collineant, uelut ad centrum. Etsi uero hoc idem sentit spectatae uir doctrinae, Ioachimus Fellerus, tamen alia, quam Eggelingius, mente non Thesmophoria, Cereri rite procurata, hic reperit, sed Eleusinia, eidem quidem dicata Cereri, uerum ab illis diuersa, quod altera instituebant ob leges, altera ob fruges, quarum utraque rerum a Cerere transdita ferebatur. Sic arbitratus, ille Eleusino cultu non excludit Bacchum, Iouis ex ipsa Cere filium, comitemque matris, Proserpinam apud inferos quaeritantis. Plura sunt, de quibus inter hos duum viros non conuenit, habet etiam Ioannes Carolus Schottus, habent alii, sicut in rebus uetustate exoletis fieri solet, forsitan, quod submonendum ducant. Illud ramen in promptu est, in his, quae hoc ipsum sacrificii uasculum adumbret, sacris Cererem ac Bacchum manifestis repetitisque notis, atque adeo potissimum, designari, ut alienum non sit, aliqua utriusque mysteria,

ria, quae lateant hic, cognosci. Mysteria dico, qualia mens occaecata capiebat, cum peruulgatae saepe res, quae uel prodeissent plurimum uel ob- essent, interdum etiam foedissimae, diuinis affice- rentur honoribus, quibus rebus ut aliqua myste- riorum conciliaretur species, harum cultus obscu- ritate caerimoniarum symbolorumque inuolue- batur, sicuti de Cerere dixerim atque Baccho. Fuerint enim diuersa, quibus diuersae res signi- carentur, Cereris nomina, his ipsis tamen, con- stat, in primis ubertatem terrae, fruges, et res, quibus alamur homines, consimiles, indicari. Fu- erit Bacchus aliter atque aliter appellatus, nec ua- ria magis eiusdem appellatio, quam huius appella- tionis significatio, hic tamen perinde liquet, per Bacchum manifestius uinum potumque intel- ligi, quam Solem. Ceres igitur et Bacchus co- lebantur antiquitus ob res uitae hominum in pri- mis necessarias, illa quidem maxime ob esculenta, quae subministrare credebatur, iste apertius ob- potulenta, quae, siue ui Solis siue alia quadam, parare existimabatur, praesertim, cum hic, idem, ac Nilus, ab Aegyptiis habitus, pro ipsa denique Aqua putaretur. Sic hominum, quos obedientes uentri non natura finxerat, sed animi peruersitas, DEVS, ut loquitur Paullus, erat VENTER, ho- nore summi Coaditoris in res conditas projecto illas, quae ad uictum maxime cultumque sup- ditarent. Sensit aliter fecitque Volframsdorfius, quando, ductus animi sanctitate, res, hominum utilitati das, quibus Dei maiestatem dedecora-
uit

uit ueterum prauitas ac subuertit, ad gloriam Numinis reuocauit, nec ipse tantum fontem coelestem, unde manarent facultates tam amplae, pie inuiolateque ueneratus est, sed etiam, ne aliis, iisdemque melioribus, tuendae subsidia uitiae deessent, pie prolixo que prouidit. Causam peroret omnem conuictus ille iuuenum duodecim lectissimorum liberalis, qui auctoritate, prudentia, exemplo, Moderatoris grauissimi regitur, tam sapienter institutus ab Hermanno, ut coniuiae uires, quae studiorum labores sustineant, nullo sui sumtu, pluribus reficiant annis, et, epulo sale exquisitoris doctrinae deliciisque condito, nihilo magis corpore, quam animo ingenioque, pascantur. Tam pium munificentiae specimen dignius est memoria gemmarum, quam, nescio quae, profana Cereris et Bacchi sculptura. Quam idem certe reuerendum sit posterisque narrandum, oratione luculenta exponet *Iacobus Abraamus Thryllitus*, Gnansteinio Misnicus, iuuenis humilitate moris, ingenii elegantia, multo rectoque studio, nobis hoc probatior, quo acrius, ac felicius, aemulatur famam Thryllitiani nominis, in literis haud obscuram. Vos, CIVES, Oratori fauete nostrati, eumque, proxime futura die Mercurii, in Acroaterio Maiore, ab hora IX. matutina, dicturum, benevolentia, qua foletis, adiuuate.

P P. VIII. Calendas Sextiles, anno, quam
Salus parta est, cīc 1000 xxiii.

* * *

Die XXV. Iul. M. MART. CNO-BLOCHIVS, Lycei Witteb. Rector,
ad audiendas tres Orationes Scholaſticas ſequen-
tem dedit inuitationem :

Inter cetera felicitatis genera hominis ad literarum studia nati haud duco postremam, loco tali et ciuitate ortum esse, ubi et Academia, et Gymnarium, uel ſchola faltem eius floreat generis, quam triuiale, ſed inuitio *Christoph. Cellario*, V.CL.inAntibarbaro latin. appellant. Multi enim, optimis praediti ingenii, forte nunquam de ulla ſtudiorum ratione uel uſcipienda, uel ingredienda, cogitaffen, niſi ultro eos occasio adeo commoda prouocat. Non paucos uel auaritia, uel anguſta res domi, et ſupplex admodum curta, ab optimis disciplinis abstractos, ad ſordidiffimis artes et opificia ſine dubio damnasset, niſi domi impendio minimo ſtudiis nauare operam liceret. Plures, aetate tam tenera, ab intensiſſimo parentum amore uel diſſiculter auulſi, uel aegerrime dimiſi, in matris gremio amplexibusque, illiberali potius otio, uel operi, uacarent, penitusque obbrutescerent, quam honestiſſimiſ disciplinis ſcien- tiaſque animum imbuerent foris, optimaque ingeniī cultura ad meliorem frugem redirent. Plurimi, imminentis periculi timore, non ſemper uano et inani, peregrinis fluctibus filios committere ueriti, rudes atque indoctos mallent, quam uel

cum

cum aduersa ualetudiné, in alienis locis attracta, assidue conflictantes, uel, custode partim remoto, partim minus fideli, pessime degenerantes, uel denique plane nulos, habere. Hae multæque aliae difficultates ab ipso limite studiorum, et omni prorsus aditu honestioris disciplinae, prohibere solent, quas pluribus persequi non uacat, nec illud opus esse uidetur, cum tot exempla et rerum testimonia adsint, iis praecipue non obscura, qui pueritiae memoriam recordentur ultimam, et, inde usque repetentes, non nesciant, quam multa ingenia, optima licet et felicissima, sibi olim in condiscipulatu familiaria, dictis modo incommodis unice a studiis auocatos esse atque abalienatos. De quibus, non est, quod querantur ii, quorum patria ciuitas scholæ et académiae, bene constitutæ, fama celebratur. Et quemadmodum his pronus facilisque ad literas accessus datur, sic multo etiam feliores facere progressus possunt, multis atque insignibus praerogatiis, praeter alios, gaudentes. Evidem si uerum est, quod nemo dubitat, parentum erga liberos amorem multo esse uehementissimum, negari profecto non potest, nemini, quam iis ipsis, illorum salutem curae magis cordique esse. Homini autem, ingenuis artibus ac disciplinis imbuendo, duobus potissimum modis consultitur, si intellectus optimarum cognitione rerum aspergitur, et uoluntas honestatis uirtutumque studio emendantur, ne, in pessimum uiuendi genus immersus, et sibi tandem ipsi opprobrio filius sit, et parenti,

In

In utroque parens, siquidem et optimus audire, et conscientiam saluam tueri, cupit, laborare debet, et, filio ab ipsis latere non longius, ac decet, dimisso, facili negotio potest, siue $\alpha\mu\gamma\sigma\Theta$ sic, siue studio deditus literarum. Politioris enim doctrinae si fuerit expers, idoneo Praeceptore, peritioribus consultis, electo, et in paedagogi, et in discipuli operam, saltem, quod ad exteriora attinet, quotidie inquirere, de filii moribus et industria ex praceptor, ex condiscipulis, piis atque ingenuis, ex aliis, diligenter quaerere potest, contra, ac facere licet, filio studiorum causa peregre absente, ubi alienis oculis uidere, alienis auribus audire, cogitur, raro, imo nunquam fere, non suctatae ueritatis particeps factus. Nam, qui custodes filii relinquuntur, rarissime officio satisfaciunt, dum, aut ex supina negligentia, curam fidei suae concretiti postponunt, aut, officii pactique immemores, parentibus turpiter imponunt, ac impie adulantur, uitia sui alumni studio celantes, ne lucello, quod inde percipiatur, excidant, si Pater filium uel domum reuocet, uel seueriori disciplinae tradat. Quod si uero parens ipse studiosus literarum est, quantum adiumenti filii studiis afferre non potest, in primis, si, praeter eam, quam iam dixi $\epsilon\varphi\omega\gamma\alpha\tau$, atque assiduam admonitionem, etiam aliquam pueri institutionem domi suscipiat, ac subinde profectus eius, examine instituto, perconteretur. Id quod ueteres Romani factitarunt, unde quoque tam excellentes uiri extiterunt, quorum uirtutes et ingenii dotes hodie,

die, stupefacti admiramur. Ita enim de Titi Pomponii Attici parente commemorat Nepos, ipsum omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudiisse, Praeclarum huius rei exemplum Cicero ipse nobis praeiuit, qui, tot tantisque reipubl. districtus negotiis, tamen ad Quintum, fratre, L. II. ep. XIV. ita de seipso scribit: „Maximae uero mihi curae erit, ut Ciceronem tuum nostrumque uideam scilicet quotidie, sed inspiciam, quid discat, quam saepissime, et, nisi ille contemnat, etiam magistrum me illi profitebor. „Cuius rei non nullam consuetudinem nactus sum „in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore perdocendo. „Quantum uero inde ad communem et priuatam fructum afferatur, si Parenz ipse morum filii censor existat, et studia modetur, me non monente, intelligitur, ut sane mirari satis non possim, non sine maximo damno, multos, rerum magis exterarum, quam patriae suae, studiosos, peregrina omnia, tametsi uiliora, suis, tamen, etiam pretiosissimis, anteponere. Vt uerbis D. Augustini Lyseri, ex Orat. Helmstadii 1712. hab. ubi etiam Democriti, prisci illius Philosophi, meminit, qui, uniuersum terrarum orbem peruagatus, Athenas solas non aliam ob causam uidere neglexerit, quam quod patriae suae proxime adiacerent. Matth. Berneggerus, Discursus Politico historico de peregrinatione studiosorum, inter alios hos etiam uerius in medium assert,

P. 15.

Mennich sinen Söne ock van sick sendet.
 Un menet, ydt sy gar wollbewendet,
 He menet, he schöle döget lehren,
 So kann he nicht, den Gel vorteren,
 Und kumpt wedder tho Huß erger dor,
 Alß he was, do he ersten utfor.

Addo Thom. Lansium, in Or. Lat. pro Germ. cuius haec sunt uerba: „Quid dicam de aliis, qui, „intra Lares paternos, expectatione primi, et qui- „bus meliores ne uoto quidem singi poterant, „foris apostatae, hostes patriae, extiterunt, Nero- „nes et Sardanapali euaserunt. Sed absit, ut om- nes peregrinationes promiscue improbem, quas potius omni modo suadendas, ac tantum non im- perandas, censeo. Festinationem modo dissua- deo, qua uel pueri, nulla urgente necessitate, do- mo dimissi, sui iuris esse sinuntur. Quod plu- rimis prudentissimis uiris aliter uisum fuit, qui haud raro, filiorum causa, ab opulentioribus pro- uinciis discesserunt, publicum munus eo nacti lo- co, qui et schola et Academia instructus sit, quo studiis filiorum suorum tamdiu ipsi praeesse que- ant, donec, ad maturitatem proiecti, ad extera loca tuto et cum emolumento uisenda essent apti. Cuius etiam consilii eos non poenituit, dum, hac cura diligentiaque in filiorum educatione collo- cata, uiros Ecclesiae ac Reipublicae reddiderunt tales, qui infinitis meritis, cum alibi, tum hoc ipso etiam loco, orbem illustrant literatum. — Vi- deo quidem, quid hic obſciant multi, imo fere omnes, sed manum de tabula. Ad id, cuius gratia

gratia haec praemisi, accedo. Iuuenis cum o-
mni laude commemorandus,

Fridericus Guilelmus Kirchmaierus,
Vitembergensis,

Vir Magnif. atque Excell. Georg. *Guil. Kirchmaieri*,
Regii Consiliarii, ac P. P. de uniuersa re literaria
optime meriti, unicus ac summae spei expectatio-
nisque filius, in scholasticis exercitiis artibusque
exercitatissimus, adeo ab aliorum abhorruit opi-
nione, ut Optimo Parente, ob adductas, et plures
alias rationes, ita iubente, nullam, nisi patriam
scholam frequentare uoluerit, in qua etiam im-
proba industria tantum, DEO adiuuante, profe-
cit, ut, uoluntate Venerandi Parentis, perspicacis-
simi et profectuum, et morum, censoris, bonis-
que omnibus, Praeceptoribus in primis, cum gau-
dio applaudentibus, in academiam patriam se con-
ferre possit, donec tandem omni scientiarum et
uirtutum genere auctus, ac confirmatus, ad exte-
ros excurrere, citra periculi metum, liceat. Scho-
lae autem ultimum uale dicturus, ipsius huius Ly-
cei historiam, quantum per subsidiorum penuriam
fieri poterit, latino sermone, eodemque soluto,
exponet, cui gratiarum actiones subiunget, unam
ebraice, alteram graece, tertiam gallice, quartam
uersibus latinis, ultimam denique uernaculo car-
mine conceptam. Institutum hoc *Adam Godo-*
fred. Hungarus, Vitemb. optimi iuuenis ingenii,
et moris, latina oratione gratulabitur, qua Vitem-
bergensem Academiam, praeter ceteras, omnibus
Academiae Candidatis, cuicunque studiorum ge-
neri

neri dediti sint, commendabit. Aditum autem paraturus, *Christian Gottlieb Schultzius*, Marckelbergensis ex agro Lipsiensi, ualde honestus, probus ac diligens, Auditorum benignitatem exorabit, et, publicas scholas priuatis anteferendas esse, breui et succincta declamatione demonstrabit. Quod institutum, ut omnes musarum nostrarum *Maeccenates*, *Patroni*, *Fautores*, et *Amici*, in primis, quibus Lycei huius cura speciatim demandata est, *Summe Reuerendus*, et *Magnif. Ephorus* et *Amplissimus Senatus*, splendida sua praesentia dignari uelint, quibus par est, precibus oro atque obtestor. Vitemb. Dom. IX. p. Trinit. c I o I o c c X X I I I .

* * *

D. 3. Augusti, publice disputauit Vir Consultissimus, Dn. IOBV S THIELE-MANNVS, I. V. D. qui Protonotarii apud Consistorium, quod hic est, Ecclesiasticum officio, inde a multis annis cum laude fungitur, de *Actione*, ex *Conuictu Academico competente*. Quam disputationem, Ipso Praeside, defendit Dn. GEORGIVS MARTINVS MOERBITIVS, Doebel. Misn. lit. Viduae Gerdes. pl. 3.

Ipsa Dissertatio, quae Praesidem habet auctorem, cum stili nitore ac elegantia, tum solida argumenti tractatione sese commendat. Constat ea 17. paragraphis. §. 1. occasionem disputationis exponit, quam ex sententia *Hoppiana* in Comment.

ad

ad Inst. §. 4. de Locat. Cond. nactum se profiteatur, opinionem illam penitus ad examen reuocaturus. §. 2. Causas memorat, quae prudenti Advocato suadere debeant, ut ante omnia, quo actionis genere sit agendum, inquirat. §. 3. Informatione in causa quid sit, explanat. §. 4. Ad inuestigationem ipsius actionis, quae ex conuictu Academico studiosorum, communis mensa utentium, competit, progreditur, §. 5. distinctionis conuictum gratuitum inter et permutatorium meminit. Vbi primum de gratuito. §. 6. Permutatorium definit. §. 7. Exemplum conuictus permutatorii affert. Mercenarium autem conuictum esse Academicum, monet. § 6. *Hoppianam* sententiam examinat atque ex definitione emtionis ab ipso Hoppio traditae evincit, actionem emti uenditi, ex conuictu unius mensae : *Wenn einer bey dem andern in die Kost gehet, minime locum habere.* §. 9. Limitat iam dicta, si supponatur speciale pactum determinatiuum, aut consuetudo loci. Simil argumentationem Hoppii ab aurifice ad conuictorem refellit, cum insignis inter utrumque diuersitatis appareat ratio. §. 10. Emtionem uenditionem tum contrahi largitur, ubi nempe, in culina publica, hos uel illos cibos praestituto certo pretio nominatim afferri sibi postulat. §. 11. Ad alia dissentientium argumenta, ab emtione per auersionem, fructuum futurorum in semine latentium, aut germinantium, iactu retis etc. petita prolixius respondet. §. 12. Antea disputata non minus in assecurationis contractu usu ue-

nire monstrat. §. 13. Reiecta sententia *Hoppiana* actionem praescriptis uerbis, do ut des, hic locum habere existimat. §. 14. Hanc suam opinionem firmare annititur, dum monstrat, in conuictu casum fortuitum a conuictore non praestari, quod uero in emptore, si res emta ante traditionem casu perierit, secus se habeat. §. 15. Allatis legum rationibus asserit, conuictori, cui obsonator conuiuium splendidius centum thalerorum pretio, parare promiserit, casu deperditis cibis, non actionem praescriptis uerbis, quae ad implementum tendit, sed condictionem causa data, causa non secuta competere. §. 16. Iis respondetur, qui, innominatos contractus ad nudi pacti placita referri posse credunt, ita ut illis plane supersedere queamus. Vbi monetur, uix esse, ut hodie per pactorum ualiditatem innominatos contractus sublatos esse credamus. §. 17. Per multum conducere, monet, bonarum Artium cultoribus, doctorum in Academiis virorum in conuictu esse, et quotidianum cum illis habere commercium. Tandem duo subiungit rescripta Regia, alterum d. 16. Julii 1716. alterum d. 24. Julii 1722. datum, quibus et immunitas ab accisa onere ad certam summam iis conceditur Professoribus, qui sex minimum studiosos conuictores secum admiserint, et laudabile illud institutum in usum reuocari serio in jungitur.

*** Die

* * *

Die XXVI. Augusti, A. MDCCXXIII. supra laudatus I^Ctus, Dn. IOH. BALTHASAR WERNHERVS iterum dissertationem, respondente Dn. IOH. CHRISTIAN WVNDISCH, Schmid. Sax. Praeses in cathedram proposuit. Wittebergae lit. Viduae Gerdef. pl. 4.

Comprehendebat illa XXVII. numero *Selectas Observationes Förenses*, quas strictim hic enarrabimus. Obseru. I. Neque Iure communi, neque Saxonico Electorali, regulariter iusiurandum exigitur a filia, haereditati patris uel matris renunciante. Obseru. II. Quando uni ex domesticis insinuata est citatio, poenam contumaciae cito-
tus euitat, quando iurare potest, nullam eius notitiam ad se peruenisse, nec quo minus perueniret, se impediuisse. Obseru. III. Iusiurandum minoris, quod non actu corporali praestitum, restitutionem in integrum aut querelam nullitatis haud excludit. Obseru. IV. Intuitu bonorum uel dotalium uel paraphernalium uxori hypotheca tacita in feudo haud competit. Obs. V. Qui tigna aliquamque materiam ad exstruendum aut reparandum aedificium debitori dedit, priuilegium personale cum hypotheca non habet. Obs. VI. Arrestum propter omissam in termino iustificationem, desertum haud est. Obs. VII. Qui post fatale probationis Documenta tanquam nouiter reperta producit, non tenetur iurare, quod eo durante, nullam eorum notitiam habere potuerit,

rit, sed tantum quod non habuerit. Obs. VIII. Leuteratio a Curatore litis super prioritate et ordine, quo creditores locati sunt, interposita, inadmissibilis est Obs. IX. Quando iudex Leuterationem sub conditione u. g. refundendarum expensarum recipit, hac non impleta, perinde ac si illa plane admissa haud fuisset. Obs. X. Eius qui debitoris debitor est, bona piae causae tacite oppignorata haud sunt. Obs. XI. Titulus pro herede in actione Publiciana eo casu sufficit, quando reus fatetur, se rem non ab alio nisi actore, possidere et causam possessionis inualidam esse, apparet. Obs. XII. Quando reus, qui negauit capita libelli, super quibus iuriurandum ipsi delatum, eadem postea, per modum leuterationis, affirmat, poenam inficiacionis euitat. Obs. XIII. Quando duplicitis delicti reus propter unum torturam sustinuit et propter alterum iuriurandum purgatorium praestitit, in Sax. Elect. hodie non nisi dimidiā expensarum partem ferre tenetur. Obs. XIV. Sola declaratio debitoris, quod executionem pro facta habere uelit, ad consequendum ius reale haud sufficit. Obs. XV. Directorium testium ad formam probationis non pertinet. Obs. XVI. Causa debendi satis in Documento expressa intelligitur, quando quis eo fatetur, quod pecuniam acceperit et usuras soluere uelit. Obs. XVII. Principaliter liti interueniens in quo-uis processus articulo admittendus, etsi initio statim, cum illa moueretur, notitiam de ea habuerit. Obs. XVIII. Qui principaliter liti alienae interuenit, cautionem pro reconuentione et expen- sis

sis praestare tenetur. Obs. XIX. Nemo siue principaliter siue accessorie interueniat, admittendus, nisi quod eius intersit, summariter demonstret. Obs. XX. Edictum citationis per integrum spatium Saxonicum, quod continet, publice affixum esse debet. Obs. XXI. Etiam feudi uenditio ualeat, sine scriptura, nisi aliter inter contrahentes conuenient. Obs. XXII. Si renouatio inuestituræ non dolo sed culpa, omissa est, regulariter hodie non poena priuationis, sed mulcta tantum dictatur. Obs. XXIII. Renunciatio exceptionis non numeratae pecuniae ex interuallo facta reconuentione intra biennium haud excludet. Obs. XXIV. Confessio, etiam ratificata, sine legitimis indiciis torti nullum effectum habet. Obs. XXV. Nullitate laborant etiam in foro communi, in causis criminalibus, Acta, nisi Actuarius simul Notarius sit, aut talis eidem adiunctus fuerit. Obs. XXVI. In processu ordinario uel summario in specie tali aduersus iuramentum diffessionis, contraria probatio admittitur. Obs. XXVII. Interposita appellatio a Iudice inferiori in Leuterationem immutari nequit, etsi appellans consentiat.

* * *

Die XXVIII. August. Magnificus Academiae Rector, ad Amplissimi Viri GODOFREDI ZIMMERMANNI, Senatoris atque Bibliopolae Vitemberg. funus comitandum, Ciues Academicos, ex ualuis publicis, Programmate hoc ipso excitauit:

L 3

Cum

Cum humanorum ingeniorum cultus ingens
diuinae in homines benevolentiae signum
est, tum non uulgari honore prosequendi sunt,
qui illum industriae suae atque impensarum one-
re subleuant pariter, ac promouent, quoque mi-
nus libris carere eruditii possunt, eo maiori stu-
dio eiusmodi uolumina typis excudenda curant,
colligunt undique, comparant, diuendunt ite-
rum eruditis, atque ita eorum doctrinam quo-
quo modo adiuuant. Sciunt uere eruditii, quam
pauca, quamque ad breue tempus, memoriae
dexteritate capi ac retineri queant, uacillat in-
terdum, saepe minus fideliter custodit res, sibi
conceditas, saepe fatigat nos, et prorsus desti-
tuit, nisi praeclara rerum gestarum, ac scientiae
posterioris mandatae monumenta identidem con-
sulamus, indeque artes discamus, quarum in non-
nullis antiquitas incredibili ratione excelluit.
Nec ignoramus, quam misere fatigati sint tur-
batique maiores nostri, cum typographia non-
dum inuenta esset, ubi antiqua uetus tatis monu-
menta ingenti labore et sumtibus exaranda erant
cuncta, manibusque hominum describenda illis,
qui tantus sapientiae thesauros ipsi inspicere cu-
piebant. A multis non poterant legi, non quod
linguarum noticia abstraherentur, uerum quod
paupertate pressi, mercede conducere sibi scribas
non possent. Sic ubi etiam in angulis latebant
calamo expressi codices, segnities tamen partim,
partim ignorantia, inutiles reddebat. Sed dici non
potest quantum subsidiorum auxilium homi-
nibus, scientia expolitis, diuinitus datum fuerit,

ex

ex quo ingenia Deus excitauit, quae artem typographicam excogitarunt, et bibliopolas misit, qui aliis excudendos libros modo curauerunt, modo diuendendos compararunt. Quamuis enim multi his Dei beneficis abutantur, et, ex luci cupiditate, inutilia pro utilibus, noxia pro salubribus, imprimant typis, et negotiatione distrahanter, nec tamen desunt, qui rectius existimatio ni suae consulunt, nobisque tales publicandos curant libros, quibus, nec suae utilitati nocent, nec famae maculam inurunt, sed nomini suo celebritatem conciliant. In his apud nos fuit, **Amplissimus Vir, GODOFREDVS ZIMMERMANNVS, Vitembergenfis**, qui patre natus **Philippo**, ciue ac pellione, honestatis pariter, ac fidei diligentiaeque studiosissimo, matre **Megdalena**, gente orta **Schwerdneria**, haud ita pridem defuncta, anno **Clo loc LXX.** initio Maii. Sedula parentum praceptorumque huius loci publicorum cura ingenium expoliuit, mox animi cupiditate, ac felicissimo euentu, ad libros comparandos diuendendosque studium se contulit atque **Iohanni Henrico Mayero**, celebri huius urbis bibliopolae, in disciplinam traditus, tantum in artis huius dexteritate profecit, ut **Ieremiae Schreyo** et **Thomae Fritschio**, inclutis Francofurtensibus ac Lipsiensibus bibliopolis, non sine utilitate inseruire posset. Vitembergam postea regreslus, post mortem Meyeri est, duxitque in matrimonium **Mariam Catbarinam**, celeberrimam gentis filiam, egregium sexus sui ornatum,

mentum, ac felicissimi uteri matronam, cum
qua, et suaviter uixit, et praeclarissime negotia
gessit, *octo liberos, quinque femellas, et tres filios*,
procreauit; ex quibus filiae ad unam omnes di-
uina gratia supersunt, et duo filii luctuosissimis
animis eius funus comitantur, et cum sororibus,
quarum tres affinitate cum honestissimis *Nico-*
laiae, Teuerleiniae et Strunziae Gentis, familiis
comparata, coniugia inierunt, magno luctu pa-
rentis obitum prosequuntur. Editis singularibus
sapientiae prudentiaeque speciminibus, Senatus
Oppidani fauore inter Patres nostrae Vrbis rela-
tus, anno cl^o locc X, cui muueri postea aerarii
ecclesiastici cura adiuncta fuit, anno cl^o locc XIV,
quibus non vulgari dexteritate praefuit, nec pa-
rum sacrum silecum locupletauit. Corporis ro-
bur et ualitudo magnam concitauit expectatio-
nem, fore, ut diutissime uita fungeretur, sed he-
patis durities pectoris dolores atque incendia ef-
fecit, ex quibus hydrops oriri uidebatur. Ad-
hibitus est splendidissimi nominis medicus, *Chi-*
stianus Vaterus, qui moram quidem his malis in-
iecit, sed praeter opinionem postea sensim ita
increuerunt, ut asthma excitaretur, et vires pe-
nitus prosternerentur. Imminente mortis discri-
mine, ad spiritualia auxilia se conuertit, et con-
ciliatus cum Deo, coenae Sacrae particeps factus
est, usque dum pie placideque, superiori Mar-
tis die, animam efflauit. Vos, Ciues, mortaliti-
tatis memores, et tantis honestissimae familiae de-
coribus excitati, ultimum defuncto officium prae-
state,

state, luctumque minuite, quo maior suscitari nequit. Vitembergae V. Cal. Septembreis, anni cIɔ locc XXIII

* * *

Die eodem XXVIII. Aug. e Politicis Praeside M. IO. FRIDER. SCHOMERO, Suer. Mecklenb. *de Iesuitis, caute tolerandis,* disputauit Autor IO. IAC. TADDEL, eadem patria oriundus. Viteb. lit. Viduae Gerdesiae, pl. 2.

Praemisso totius Dissertationis conspectu Author in §. I. ex eo, quod Iesuitae qua uitam quaque doctrinam Reip. sint pestis, generatim quaestio- nem proponit: An Iesuitae sint tolerandi, et quanam ratione caute? §. II. Statum Quaestio- nis rite format, distinguendo inter *tolerantiam ec- clesiasticam et politicam;* utramque dat descri- ptam, ultimam uult intellectam. §. III. Politice sic Iesuitas tolerandos esse, ui Instrumenti Pacis Osnabrugensis, ipsis largitur, attamen circumspe- ctione quoque, certisque cautelis opus esse ostendit. Cautam hanc in Rep. tolerantiam N. circa ipsorum vitam, in §. IV. dicit prohibere, quo minus Iesuitarum multitudo excrescat, siquidem ipse *Claudius Aquauia*, Iesitarum Generalis, af- seuerare ausus sit, tot in qualibet urbe sustentari Pontificis R. milites, quot ibi reperiantur Iesuitae. In §. V. indicat, esse cauendum, ne sine Magistra- tus consensu Iesuitae socium coöptent. §. VI. Ne cum finitimiis commercii iure se misceant. §.

L. 5

VII.

VII. Ne immobilia sibi acquirant et possideant bona. §. VIII. Ne domus professas et Collegia pro lubitu exstruant. §. IX. Ne Aulas frequenter, ibidemque officia obeant. §. X. aut clandestinas literas ad Superiores et suum, quem vocant, Generalem mittant. §. XI. Nec obedientiam, Magistratui istius Reip., ubi commorantur, debetam denegent, sed uitam agant Reip. legibus conformem. Ad haec 2. Circa ipsorum *doctrinam*, in §. XII. Autor consultum fore indigitat, si Magistratus prouidentia Iesuitis praescriberet Catalogum illarum thesium, quas uel directe, uel indirecte suis inculcare discipulis, aut approbare non deberent. §. XIII. Si Magistratus eo Iesuitas adstringeret, ut Societatis suae discipulos publice instituant. §. XIV. Si prohiberet, ne aliorum, in primis Protestantium liberi eorum tradantur informationi, siquidem inter alia exsecranda ipsorum dogmata §. XV. liberos a debito erga Parentes et Magistratus obsequio alienant. §. XVI. αἰσχρίαν in pueris promouent. §. XVII. eosdemque magis magisque suae iungere student Societati. §. XVIII. Quocirca in variis Regnis, olim iam ipsis interdictum fuit puerorum institutione. In §. XIX. tandem cauta quoque circumspectione opus esse, probatur, in concedenda Iesuitis confessiones audiendi licentia. In §. XX. non nullae adhuc adduntur quidem cautelae, quarum uero explanatio ulterior, cum chartae angustia excludatur, Autor ex dictis facilis negotio deduci posse, indigitauit, subnexo epilogo. Omnia is de

de caetero ex *Hospiniani Historia Iesuitica*, *Thuanii historiarum libris*, *Gibellini Caesareo-Papia Romana*, *Lucii Historia Iesuitica*, ex *Tuba Magna*, ipsisque *Claudii Aquauiae scriptis*, et ex multis aliis probata dare, notisque hinc inde adiectis sati dilucidare allaborauit.

* * *

Die XXIX. Aug. Collegii Theologorum Decanus, GEORG. FRIDERICVS SCHROEERVS, SS. Theol. Doctor, Eiusdemque Prof. Publ. et Alumn. Reg. Elect. Ephorus ad audiendam Orationem, ab HENRICO AVGVSTINO ANDREAE, Pastore Hagae Primario etc. pro facultate, summum in Theologia gradum obtinendi, lectionibus suis cursoriis publice praemittendam, totum Corpus Academicum Programmate, Candidati maxime Reverendi Vitam, post alia, exponente, inuitauit, quod, pro instituti ratione, Beneuolo non negamus Lectori.

Errantem opinionem *Naturalistarum*, qui omnia animi et corporis bona Naturaे, nihil uero, uel parum, Gratiae diuinae tribuunt, ex omnium hominum animis euellerem, si *Naturalistae Mosis consilium auribus admitterent*, et haec uerba diuina: a) *Quae est alia gens tam magna, ut habeat ceremonias, iusta que iudicia, et uniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* quibus religio Iudaica a religione naturali,

a) *Deut. 4, 8.*

rali, et populus Iudaicus ab omnibus gentibus distinguitur, animo considerarent. Moses non extollit uerbis magnam Israelitarum copiam. Multae aliae nationes, ait recte Lyra, fuerunt majores fortitudine et multitudine; nec praefert Iudeos fidelibus, ex Melchisedicis & Iobi familiis natis. b) Nam Moses dicens: וְכֵן יִשְׂרָאֵל, LXX. Interpretes: ποῖος ἐθνός, Latinus: quae est gens alia? & Lutherus: Wo ist so ein herrliches Volk? Iudeos gentibus opponit omnibus, et dignitatem illorum, quae ceremoniis, iustis iudiciis et uniuersa lege, Legibus scilicet ceremonialibus, forensibus et moralibus, et non lege tantum, uerum quoque Euangelio innititur, palam et optime praedicat. Iusta Dei Iudicia et statuta sunt Dei Verbum, c) diuinæ sapientiae fons et origo, d) et Verbum ueritatis, e) Lex igitur et Euangellum, quod a Paulo f) σοφία ναι σοφία Θεός εν μυστηρίῳ appellatur. Hinc recte ait Hülfemannus. g) Durch die Redens-Arten, Gebot, Rechte, Zeugnisse etc. werden nicht allein die Facienda, oder was man thun soll, sondern auch die Credenda, was man glauben, von Gott und seinem Willen in seinem Sinne und Gedancken halten solle, verstanden. Hinc si populus Iudaicus in gloria olim fuit, et super omnes gentes alias excelluit, quoniam Religionis Iudaicae fundamentum fuerunt Lex pariter ac Euangellum, quod est μυστήριον, non naturalis,

b) Vid. Notas ad Bibl. Tossani. c) Ps. 147. d) Deut. 4, 6. Ps. 119, 17. e) Ps. 119, 43. f) I. Cor. 2, 6. G 7. g) In Calixtin. Gewissens-Wurm. p. 1363.

ralis, sed supernaturalis Iudeorum quondam fuit Religio. Moses quidem, ait Spencerus, h) legem et conditionem Iudeorum cum Gentilium confert, at rudi populo clare constare uix potuit, quantum ipsorum leges et ritus Gentium instituta sanctitate et excellentia superarent, nisi inter utraque similitudo et affinitas aliqua generalis intercederet. Comparatio, quam Logici uocant impropriam, nullam requirit rerum conuenientiam. Ut niger, qui cum albo comparatur, bene nouit, quod nulla nigredinis et albedinis sit similitudo: ita Iudeus cognouit recte, se in sapientia diuina excelluisse Gentilibus, rerum diuinarum ignaris. Non omnem Legum Iudeorum cum legibus Gentilium, (utrique enim legibus adstringebantur,) similitudinem Generalem, sed specialem, quae res controuersa est, inficior. Si Moses de lege uel abstracta, uel naturae, uel Iudeis pariter ac Gentilibus communi loqueretur, tam legum, quam populorum comparatio esset propria, et Moses sibi non constaret; quoniam uero Propheta Iudeos, Verbo diuino eruditos, posthabitis Gentilibus, qui statuta et iura diuina non acceperunt, maximis laudibus ornat, laudis istius ratio est comparationis, quam uocamus impropriam, fundamentum. Falsa opinio nacta est defensorem Petrum Chauuin, i) qui Theologiam Iudaicam in tres partes, legem nempe moralern, politicam et ceremonialem diuisit, eamque, religioni naturali

li

h) L. 3. de Leg. Hebr. ritual, dissert. 1. p. 7. i) Part^o
2. de Relig. naturali, c. 4. p. 248. sqq.

li consentaneam, et ex principiis naturalibus petendam esse, opinatus est. Lex moralis, ait, est tota naturalis, et eam, interioribus medullae inscriptam, Legislator decreuit, de monte Sina in propatulum prodire, ne quis ignorantiam praetexeret. Religionem Iudaicam ex credendis, quorum nullam mentionem fecit Chauuin, et ex faciendis componi, ex principio uerae Religionis Iudaicae cognoscimus. Lex moralis esset naturalis, si primam felicitatem Adamus conseruasset integrum, exigua uero Legis pars, animis nostris insita, cum hominibus corruptis et contaminatis nascitur; partem amissam, cuius ad sensum non penetrat ratio, restituit DEVS, et lex moralis, omni ex parte perfecta, post lapsum non naturalis, sed supernaturalis merito appellatur. Theologi quidam, inquit Chauuin, confitentur, quod ex legis moralis, edictis lex politica originem suam trahat, nisi quod quedam circumstantiae, quae et ubique apud alias gentes obseruantur, hanc legem determinauerint. Quod proficiscitur tum ex DEI sapientia, tum ex populi genio, DEO apprime cognito. Ut u. gr. diuortium Iudeis fuit concessum, quod et barbaris usu ueniebat nationibus. Magna semper legis moralis, et forensis, cuius illa est instar regulae, fuit harmonia; et Leges nonnullas forenses posse naturales dici, nostri quoque non negant Theologi, reliquae uero, a circumstantiis, ubique obseruatis, non determinatae, sed mere positivae et singulares a Sapientia et Arbitrio DEI, qui se hominis genio non accommodauit, ideo ortae sunt,

ut

ut Republica floreret Iudaica, Iudices de omnibus rebus iustas ferrent sententias, omnes homines ad arbitrium diuinum se totos accommodarent, et *Iudei a Gentilibus*, horumque leges ciuiles et humanae, a quibus leges Iudeorum fo-
renses aequitate et sanctitate differebant, a diuinis et supernaturalibus recte distinguerentur. Diuortium ante legem, in monte Sinai promulga-
tam, k) fuisse, recte sentit *Spencerus*; l) prima ta-
men coniugii lex: *Erunt duo in carne una, lege*
deinceps explicata apertius, qua iniustum diuor-
tium fieri prohibetur, fuit omni repudio prior.
Lege naturae condemnatur vir criminis, qui, na-
tura non consentiente, in matrimonium dicit fe-
minam, m) harum tamen legum conuenientia
non probat, religionem Iudeorum fuisse natura-
lem, et DEVM non tulisse leges speciales, qui-
bus *Iudeorum* respublica, et reliquarum Gentium
regna discernebantur. Diuortium unice esse iu-
stum, cuius fundamentum est adulterium uel
malitiosa desertio, ex sacris literis unice cognoscitur.
Hinc iniustae haut raro fuerunt leges
Gentilium, qui propter leuem causam uxores res
suas habere iusserunt. n) Hoc probant diuertia
Abasueri, qui se a coniuge diuisit, et *Philistaei* si-
liae, o) quam pater a *Samsone* separauit. DEVM,
ceremonialium legum Autorem, *sese naturae ma-*
xime

k) *Leuit. 18, 3. 4.* l) *Lib. 3. diss. 1. p. 20. de legibus He-
braeorum ritualibus.* m) *Vid. Calou. Bibl. illustr.
in Leuit. 18.* n) *Vid. Gerh. in Loc. de Coning. p. 347.*
o) *Vid. Spencer. l. alleg.*

xime accommodasse, quosdam ritus addidisse singulares, ut populum suum a vicinis idololatris discerneret, et pauca pracepta caute concessisse, ut hieroglyphica quaedam, ad imitationem Aegyptiorum, existimauit Chauuin. Dissentiens sua sponte fatetur, multas leges forenes, ad dispensationem Religionis pertinentes, fuisse singulares, minimeque naturales. Autoritatem Petri Chauuin, qui Marsham et Spencerum secutus est, et rei uerae argumenta, quibus Witsius et alii contra dissentientes pugnarunt, contempsit, et pro nihilo putauit, merito abiicimus. In Aegypto nullus Paschatis fuit usus, nullum ibi uisum est tabernaculum, nulla foederis fuit arca. *Aegyptii* non inuenierunt circumcisionem, et reliqua legum ceremonialium arcana. Hieroglyphica Aegyptiorum fuerunt uanae superstitionis signa, ceremoniae uero Iudeorum fuerunt umbrae futurorum honorum, typi Messiae, et rerum diuinarum sacraria. Hinc Autor ceremonialium legum non potuit imitari *Aegyptios*, horumque ritus, leges illas latus, propone exemplaria. *Absolutiones*, dicit Chauuin, optime consentiunt cum natura, atque Iudeorum corporibus maximo erant usui, quamuis mens nobis non sit, negandi, *DEVM* praeter illos naturales usus alia mysteria intus occultasse, sicuti baptismus, qui in usu erat apud Iudeos in proselytorum gratiam, ad Euangelii gratiam designandam, a nostro Mediatore euectus est. Membra aquis lauabant Iudei pariter ac Gentiles, sed alia horum, et alia illorum fuit intentio. Filiam Pharaonis,

p) et

p) et Aegyptios q) corpora in aquas meruisse,
 et se sanguine futuri Messiae a peccatis purgari,
 cum *Judeis* credidisse, demonstrent *Chauuin* et
Spencerus. *Chauuin* uel sentit de baptismo Pro-
 felytorum cum Iudeis, et putat, illum Deum ha-
 bere autorem, r) eumque baptismum naturalem
 fuisse, inficiatur, uel existimat, fuisse illum in-
 uentum hominum, s) negatque, baptismum il-
 lum fuisse ceremoniam, quae in controversiam
 uenit, diuinam. *Christus* non baptismum Prose-
 lytorum, t) sed aquam ad sacrum usum destina-
 uit, et Baptismum diuina autoritate instituit. Le-
 gem de cibis capiendis tulisse Deum, opinatur
Chauuin, ut optimi cibi usu sanitas corporis in-
 tegra conseruaretur. Completa uero legis istius
 ratio, quam uerbis exposuit *Gerhardus*, u) typi-
 ca scilicet, legalis et physica, maxime acerba pec-
 cati recordatio, et uerum sanctitatis studium si-
 stunt religionem, Naturae ignotam, eiusque can-
 cellis non circumscripdam. *Sacrificia naturae esse*
consentanea, & ex illius principiis effluere, pro-
 bari putat Dissentiens sacrificiis, quae *Adami fa-*
milia Deo obtulit, quanquam hac de re nullum
 extet praeceptum sub mundi initium. *Sacrificia a*

IN R. C. H. DE BERGER.

M

Deo

- p) Vid. *Spencer*. q) Vid. *Chauuin*. r) Vid. *Selden*,
l. 2. c. 2. de Iure Nat. & Gent. Nicol. annot. in *Si-*
gon. Lib. de Republ. Hebr. l. 1. c. 5. p. 82. s) Vid.
Carpzou. Not. in Ius Hebr. Schickard. p. 329. sq.
 t) Vid. *Venerandi Ordin. nostri Theol. Senior dis-*
putationem de Bapt. Christian. origine uere diui-
na. u) In *Lec. de legib. ceremon.* n. 23. p. 114.

Deo acceperunt originem, & diuina autoritate unice demonstrantur. Deum Adamo de sacrificio cum fide conjungendo dedisse mandatum, non legimus. Abelis autem sacrificium perplacuit Deo, quia mortem Messiae, cuius sacrificium fuit typus, suam fecit Patriarcha, & hoc mysterium esse, quod homo, nisi diuina luce sit collustratus, cogitatione non comprehendit, ipse Chauuin fatetur, dicens: *Deus mysterium mortis Iesu Christi sacrificiis superstruxit.*^{x)} Hoc igitur diuino pracepto innitur, quod a Deo mandatum esse, bono arguento potest comprobari. At *hostiarum immolatio*, ait Chauuin, *euasit necessaria homini Deum amanti*. *Siquidem hinc demonstrabat*, se Deo pro sua gratitudine praebere munera, quae hoc pacto accepta illi referebat. Homo lege obstrictus pro beneficiis meritam Deo debet gratiam, Deo uero immolationem bestiarum esse gratam, naturae argumento probat Dissentiens. Si homo, qui praebet hostias ad sacrificium, naturae ductum sequeretur, in ignem non coniiceret bestiarum carnem, sed eam potius ad usum uel sacerdotum, uel pauperum, quorum sustentatio Deo complacita est, destinaret. *Mactandi usus*, dicit Chauuin, *ubique terrarum uiguit, quamvis Deus nullum bac de re intimasset consilium, aut praecepsum de cælis*. *Noachi filii*, ex quibus orti sunt Gentiles, intellexerunt recte legem de sacrificiis diuinam, ab his eam acceperunt posteri, qui ritum factum super-

x) p. 245.

superstitionem, conferuarunt. Pro se facere, putat *Chauuin*, exempla *uirorum, et Dei populo et foedere remotorum*, qui hostias ad sacrificium praebuerunt. Suntque *Hiramus, Iethro, Iobus et Melchisedecus*. *Hiramus* uero fuit sapientia uera et diuina praeditus, et Deum uerum coluit et ueneratus est. Si *Iethro* fuit, ut opinatur *Peverius*, idoli sacerdos, institutis usus est Maiorum; si autem Dei ueri fuit sacerdos, ut sentiunt *Bonfrerius, Grotius et alii*, iussu diuino fecit sacrificium, et hoc confirmat eius origo, quam illum ab Abrahamo duxisse, probarunt *Calovius, Riuetus, Bonfrerius et alii*. *Iobus* fuit vir pius et iustus, Deique seruus, ideoque non natura profelytus, ut statuit *Chauuin*, sed Dei Sacerdos, qui, legum diuinarnm optime gnarus, sacrificia fecit Deo grata et accepta. *Melchisedecus* fuit Christi typus, idcirco Rex, a Deo constitutus, Propheta, diuino afflatus concitatus, et Sacerdos, cui Deus dedit autoritatem ad perpetrandum sacrificium. *Ioannem Wilkens, Cestriensem Episcopum, et ceteros, qui, legem de sacrificiis de manu in manum Gentilium traditam esse, statuunt, nouo mentis errore affici*, putat *Chauuin*, quia *hoc posito, ait, fundamento, duplex est religio, imaginationis alia, mentis alia*. Religionem mentis, seu spiritualem, his uerbis exposuit *Chauuin*: y) *Est ea, inquit, religio, quae a puris mentis principiis emanat; sensibilis autem, quae originem suam*

repetit ab imaginatione hominis ; et quoniam prima tantum est naturalis , legem uero de sacrificiis ex principiis mentis emanare , Wilkens et alii rectius negant , legis uerae propagationem , quae ad dispensationem Religionis pertinet , et religionem in diuersas species non diuidit , non sine sensus et conceptus usu factam esse , sentiunt , non duplarem fingunt et formant religionem . Homo , qui uiribus rationis utitur , nescit , quo pacto iram Dei sacrificiis placare possit . Hoc non ignorat Chauuin , qui se hoc argumento : *Homo* , dicit , non ad Numen quidem placandum , sed ad gratitudinem ac devotionem , quocunque modo testandum , macravit bestias , tueri conatur . Gentiles igitur , sacris literis non eruditos , qui iram Dei thure , hostiis , aliisque donis placare , ausi sunt , sacrificia non docuit Natura , uerum ceremoniam illam acceperunt a Maioribus . Sed institutio , ait Chauuin , aut traditio non est efficax remedium ad sacrificia inter omnes gentes conservanda , nisi et adesset insuper naturae dictamen . Euangeliū , quod fines rationis transcendit , a Patriarchis traditum , filiis durauit diu . A uera sententia non abducunt nos *Indi* , qui , teste Petro Chauuin , a uera doctrina , illis olim tradita , non uero ab aliis ceremoniis , ad quas adhortatur eos ratio , speciatim a sacrificiis , non recesserunt . Non enim omne id , quod diu durat , approbat ratio , uel emanat ex principiis rationis . *Indi* eiurarunt religionem , autoritate diuina , qua nihil est maius , innixam , et induxerunt superstitionem

stitutionem ueterem, a Maioribus acceptam, cui natura et ratio nullam autoritatem tribuunt. Nobiscum sentit Vir maxime Reuerendus, Amplissimus et Excellentissimus, DN. HENRICVS AVGVSTINVS ANDREAE, Pastor Hagae Primarius & in Comitatu Schaumburgico Lippiaceae ditionis, Superintendens et Assessor Consistorii, qui in Theologiam supernaturalem se insinuauit, et omni ope et industria innititur, ut pura et integra in Comitatu Schaumburgico conseruetur.

Natus est Vir maxime Reuerendus, Thannae, quod est oppidum Varisciae, in terra Comitum Rutenbo Plauiensium, et quidem die XXVIII. Augusti Anno c^o I^o I^oc LXXIX. ex thoro legitimo et honestis parentibus. Pater fuit Christophorus Andreae, scriba oppidi publicus, et causarum in foro alibi gentium patronus, Mater uero Sibylla Dorothea e genere Albertinorum. Actate proficiente, frequentauit scholas, et Patriam Schleizae, et Senatoriam Numburgi. Postea, duobus annis in Augusteo Leucopetrensi peractis, ibique rudimentis Tyrocinii in Philologia et Philosophia depositis, Lipsiam concessit, et in Philyrea D. Weidlingum in Philosophicis, D. Schmidium in Theologia positiva et polemica, et D. Olearium in Morali, profitentes, sedulo per quatuor annos audiuit, et aliquoties inter publice disputantes in scenam prodit. Interea cum Anno c^o I^o I^oc II. Iubilaeum Vitebergense celebraretur, et Albo nomen in Alma Leucorea dedit, et Magister inter ceteros

creatus est. Anno c15 IccclV. in patriam uocatus, munus Con-Rectoris in Schola Schleizensi obiit per septem Annos, usque dum ad nutum diuinum officio Sacro Wurtzbaci, in agro Lobensteinensi, praeficeretur; Sed nec ibi ad filiam Franconiae delitescentem, diutius, quam per nouem annos, haerere, diuinae prouidentiae placuit. Liberimo enim nisu Illustrissimus ac Clementissimus Comes ac Dominus, Dominus Fridericus Christianus, Comes ac Dominus Schaumburgi, Lippiae et Sternbergae, anno c15 Icc XX. non ad tempe aliquod, sed ad Pastoratum Bückeburgensem euocauit eum, et annus nondum elapsus est, cum, ipsum Pastorem Primarium Hagae in Comitatu Schaumburgico constitui, clementissime iuberet. Ceterum notandum est, quod per biennium abhuc uoto a sessione in Consistorio gaudens, Ecclesias, eidem Collegio Sacro submissas, et uiuente et mortuo Antecessore, attenderit, et nuperrime Superintendens Ecclesiarum in Comitatu Schaumburgico, Lippiacae ditionis, ad mandatum Illustrissimi publice declaratus sit.

Vir iste Amplissimus, sancta rerum diuinarum scientia imbutus, summos in Theologia petit honores, et idcirco publicum sacrae eruditionis testimonium. Nullam negandi causam habuit Ordo Theologicus. Cras igitur hora IX. au-spicabitur specimina, et orationem concinnam et ornatam de homine Veteri et Nuevo habebit. Cui ut omnes Academiae nostrae Patres, Caput et reliqua Membra, Doctores, Ministri Ecclesias pluri-

plurimum Reuerendi , Ordini Philosophorum Adscripti , omnesque Ciues Generosissimi et Lectissimi , frequentes interesse uelint , totius Collegii Theologici nomine , ea , qua par est , obseruantia et humanitate contendō.

* * *

Die XXX. Augusti sequente Candidatus , modo commendatus HENR. AVGVSTIN. ANDREAE , suam de homine ueteri et nouo Orationem , ex promissis , habuit inauguralem , huius tenoris :

Pro-Rector Academiae Magnifice ,
*Patres Academiae Venerandi, Viri Magnifici ,
 Summe Reuerendi, Consultissimi, Experientissimi ,
 Excellentissimi, Plurimum Reuerendi, Praecellentissimi ,
 Domini Patroni ac Fautores aeternum deuenrandi ; Nec non Viri Iuuenes Nobilissimi et Praeclarissimi Almae huius Leucoreae mecum
 Amantissimi.*

Ex singulari Dei prouidentia admiranda rerum humanarum directrice , factum est , ut mihi , qui ante quatuor annorum Lustra , hic inter publica Academiae iubila Magister creatus sum , iam in publicum prodire , atque oratione inaugurali ad capessendos Theologiae honores indultu Venerandae Theologicae facultatis adspirare liceat . Cum enim olim meridiem uersus abhinc in patriam ad obeundum munus Con-Rectoris in Schola Schleizensi nutu diuino uocarer , et postea mi-

hi in Saxonia inferiore cura Ecclesiae quae Haga
gae in Comitatu Schaumburgico colligitur ,
demandata est , iam iterum ex occidente ad
haec academica Tempe appellere , et honores
in Theologia expetere , expressis literis , Illu
strissimi Comitis ac Domini , DN. FRIDERI
CI CHRISTIANI , Comitis ac Domini Comita
tus Schaumburgici , Lippiae et Sternbergae, ius
sus sum. Salue igitur Academia celeberrima ,
Salue Cathedra , et uoce et Scriptis D. B. Lutheri
uulgatissima , Saluete Almae Leucoreae Procères ,
Saluete omnes ac singuli , quotquot hic adestis .

Dum autem absque prolixa praefatione de ma
teria aliqua Sacra in primo uestro conspectu bre
uiter hac uice differendum est , uix commodior ,
quae doctrinae hactenus a me in coetu publico
propositae conueniat , et magis proficua , mihi a
Maxime Reuerenda Facult. Theol. offerri et in
iungi potuit , quam quae de Veteri et nouo ho
mene agit . Idcirco mihi de hoc Themate pro
uirili differenti , ut beneuolas aures praebeat , hoc
est , quod obnixe , et ea , qua par est , animi ob
seruantia rogo atque contendō .

Inquirentes uero in natalem ueteris hominis de
prehendimus , eum appellari uoce hominis , non ra
tione substantiae humanae , quatenus scilicet ho
mo consistit duabus partibus essentialibus , anima
nempe et corpore , sed ratione mali inherentis ;
hinc etiam dicitur caro , item caro et san
guis , caro cum concupiscentiis suis , corpus pec
cati , membra terrestria , ex qua denominatione
dispa-

dispaleſcit, corruptionem ſic peruaſiſſe naturam hominis, ut ubiunque eſt caro, et corpus eius cum membris, ibi etiam deprehendatur labes originalis, et hominem poſt lapsum theologice non poſſe concipi, quin ſimul concipiatur eius deprauatio. Obſeruandum itaque carnem hic non ſumi physice, prout Deus quaeuis animalia etiam bruta ea conſtare uoluit, in quo ſignificatu carnem naturae ſtudiosis accuratius indagandam relinquimus, ſed in Scriptura S. carnem contradiſtingui ſpiritui, ita, ut per carnem nihil aliud denotetur, quam totus homo, quatenus in Adamo omnes facultates et corporis et animae perdidit, ut perfectionis, qua gaudere debebat, absentia et ſumma ad quaevis mala conficiatur inclinatio. Corruptio naturae autem uocatur homo non ſimpliciter, ſed cum additamento, homo Vetus, graece $\pi\alpha\lambda\alpha\iota\circ\varsigma$, ad indigitandum, quod non hodie nec nudius tertius, ſed $\pi\acute{\alpha}\lambda\alpha\iota\gamma$, ſiue olim, quondam et ab antiquis ſeculis prognatus fit. Salomon Glassius in meditationibus ſacris ita ſcribit de uetere homine: Vetus ob originem, tum primae protoplastorum ſeductionis in paradiſo, a qua peccatum et mors in mundum ſunt ingressa, tum primae hominis conceptionis et natuitatis carnalis, in qua et per quam peccati malum propagatur. Vetus homo porro dicitur homo $\psi\chi\chi\mu\circ\varsigma$, non quatenus opponitur homini glorificato, ſed quatenus opponitur homini regenito, qui praeter facultates animae naturales exornatus eſt ſupernaturali gratia. Quemadmodum

modum uero deploranda hominis in peccato conditio per uocem $\psi\chi\mu\delta$ denominatur ab anima, graece $\psi\chi\eta$, ut admoneamur, uires animae maximopere esse deperditas, ita idem status uocatur caro, ut cognoscamus, et in hac non minimam esse peccati corruptionem. Perspecto paucissimis natali Veteris hominis ratione denominationis, ad ipsius natuitatem proprius accedamus ratione rei seu constitutionis. Vetus igitur homo primam originem trahit ab iniquo parente Satana, protoplastos seducente, immittendo eorum cordibus uiperinum inobedientiae semen. Usus autem est in seducendis hominibus serpente naturali, qui obstetricis munere ad foedissimum partum excludendum est functus. Quas spinosas quaestiones de hac seductione docti mouere solent, an u. g. serpens ante maledictionem pedibus incesserit, nec ne, iis immorari nolumus, et longius facessant Iudeorum deliramenta, qui apud Maimonidem serpentem instar Cameli fuisse dicunt, quem conscenderit Schaniael, angelus mortis, et sic Euam sefellerit. Sufficit scire nos, Diabolum, qui totum mundum seduxit, etiam protoplastos seduxisse. Vtinam uero sic editus Vetus homo, simul ac lucem adspexit, in primo, uti loqui confueimus, balneo suffocatus esset, sed proh dolor! propagatur etiamnum ac nascitur quotidie. Etenim quotiescumque infans concipitur ac nascitur, roties concipitur ac nascitur uetus homo. Quicquid enim ex carne est natum, caro est. Quamuis igitur infans recens natus sit homo

mo nouellus ratione aetatis, est tamen homo uetus ratione connatae labis. Et huius infastae matiuitatis parens primaevus Satan, proxima uero causa parentes naturales, utpote qui non generant liberos sanctos, nec ex sua regeneratione nouum hominem communicant liberis, sed gignunt ex sua corrupta natura, quae caro peccatis infecta est, imaginem sui simillimam, uti de Adamo dicitur, cum filium Cainum genuisset.

Considerato hucusque ueteris hominis monstroso foetu, sequitur, ut ipsius formam intueamur, ac primis saltim lineis adumbremus, ex quibus totam picturam, prout sacrae literae eam nobis repraesentant, accuratius perspicere, haud erit difficile. Consistit autem forma eius negatiue in habituali originalis iustitiae priuatione, affirmatiue in totius naturae profundissima corruptione. Impotentia certe ac coecitas in intellectu hominis iregeniti tanta est, ut homio iregenitus dicatur tenebrae. Non potest cognoscere, quae Dei sunt, imo est *ἀνόητος* et *ἀσύνετος*. Sapientiam uetus homo quidem, sed tantum in rebus naturalibus ac ciuilibus, non uero in mysteriis, adeoque sapientiam secundum carnem habet.

Quoad uoluntatem peccatum originale hominem ita corrupit, ut semper alacris existat, in appetitione mali, quod intellectus coecus sub specie boni repraesentat, et languidus et impos in operatione boni, quod auersatur. Hinc mortuus dicitur in peccatis, et omne segmentum cogitationum cordis humani tantum malum. Appetit semper

semper et amat, sed ordine inuerso, potiora minus et minora potius diligit, praefert corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis, uti scribit Augustinus libr. I. de Doctrina Christiana. Considerando ulterius ueteris hominis affectus, miserrima atque distorta eius conspicitur facies, et tanta motuum tum in animo, tum in corpore perturbatio, ut eandem ordine describere uix queamus. Vocantur πάθη ματα καὶ ἐπιθυμίας, πάθη ἀτιμίας, καὶ ἐπιθυμία ματωμάτων. Motus praecipui sunt concupiscentia carnis, cupiditas uoluptatis et oculorum. An homo plane possit esse sine affectibus, olim quaeſitum est Seneca scribit: Vtrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, quaeritur; Nostri, ait, expellunt, peripathetici temperant. Et Macarius, Scriptor priscae Ecclesiae non obscure αἰτάθειαν in libris suis statuere uideatur. Ast affectus omnesque eorum fibras posse inter homines tolli impossibile est. Aegre ceterum forma ueteris hominis describi potest, quin exinde oriundi motus includantur. Hinc sciendum, prauos concupiscentiae motus esse proprium, perpetuum et inseparabile originalis peccati effectum, per emanationem ab eo profluens, ideo ναθ' ημᾶς ad originale peccatum referuntur, cum tamen κατ' αἱρέσιαν logicam ad actualia pertineant. Motus uero isti sunt uel primo primi, ut suggestio, uel secundo primi, ut coniuncta cum aliquali delectatione idearum contemplatio, uel secundi, ut consensus et propositum. Primi

mi referuntur ad peccatum originis signotenus, quia effectus testatur de causa, et secundi sunt actualia seu cogitationes peccaminosae. Ad cuius illustrationem petimus exemplum ex libro Iosuae, ubi uerba de Achano facinus suum profidente sic sonant: Vidi inter spolia pallium coccineum ualde bonum et ducentos sicos argentii regulamque auream quinquaginta sicularum, et concupiscentis abstuli et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque in fossa humo operui. Hic in aspectu rei interdictae latet suggestio ut motus primo primus, et in concupiscentia eius aliqualis delectatio seu motus secundo primus, et in ablatione tanquam actu extero praerequisitus est Consensus, ut motus secundus.

Evidem si Bellarmini et Schmalzii Photinianni uestigia sequi uelimus, Veteris hominis forma non in inclinatione ad malum, sed in uitiosis actibus externis esset constituenda. Ille enim libr. V. de amissione gratiae et statu peccati scribit: Ex interpretibus tum graecis tum latinis intelligitur, per hominem Veterem significari uitam ueterem, quae agitur in peccatis. Hic nempe Schmalzius contra Franzium his uerbis utitur: Loquendi modo figurato uetus homo appellatur uetus et ante Christum cognitum acta consuetudo. Verum haec neque bene, neque plene dicuntur. Progrediendum enim ad ipsas scaturligines, ita, ut per ueterem hominem naturae corruptio ab Adamo in omnes posteros propagata intel-

intelligatur. Tandem non possumus, quin addamus descriptionem formalem ueteris hominis a doctissimo Gallo, Iohanne Spinaeo, in libro de Tranquillitate animi expressam. Nervose enim ille loquitur in concreto, indigitans: Inclinacionem et omnia peccata et semina eorum latere in homine peccatis corrupto, ac actu primo omnes esse peccatores maximos, cum ait: Concipimur in peccato, h. e. polluti, maledicti, abominabiles, inutiles et improbi, proditores, infideles, ingratii, fures, latrones, moechi, calumniatores, rebelles, infidi, superbi, elati, inuentores malorum, parentibus immorigeri, murmuratores, impatientes, concumeliosi, *sine affectu naturali*, immisericordes, blasphemari, Dei contemtores et osores, denique nihil est in mundo, quod Satanae similius sit, quam nos in prima nostri conceptione, ideoque Pater noster uocatur propter similitudinem, quae nobis cum ipso intercedit. Tale est uitae nostrae initium, etiam ante quam nati sumus.

Postquam formam ueteris hominis perspeximus, ordo initio nobis propositus postulat, ut actiones eiusdem persequamur. Iuxta ueterum Philosophorum canonem actiones et passiones sunt suppositorum. Licet autem uetus homo, abstractie consideratus, non sit suppositum nec persona, sed tantummodo malum inhaerens, quoniam uero nomen fortius est a denominatione personali, eius effecta sub nomine actionum expendere uolumus. Dicuntur generali conceptu praxes corporis et uita secundum carnem, et tot sunt

sunt actiones ueteris hominis, quot peccata homines unquam perpetrauerent, ac perpetrabunt, ita, ut nec numerari, nec certis cancellis includi possint. Potiores autem recenset Christus, inquiens: De corde exeunt cogitationes malae, homicidia et adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Et iuxta Paulum: Manifesta sunt opera carnis, quae haec sunt, adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, simulacrorum cultus, ueneficium, inimicitiae, lis, aemulationes, irae, concertationes, seditiones, sectae, inuidiae, caedes, ebrietates, commessiones et his similia. Quibus uerbis Pauli peccata in Deum, in proximum, ac semetipsum indicantur: blasphemias enim, et simulacrorum cultu Deus immediate laeditur, furtis, falsis testimoniis, inuidia proximus, scortationibus uero, immunditia, ebrietate ipse homo in semet ipsum peccat. Igitur non tantum in censem hic ueniunt opera externa, quae externis membris corporis peraguntur, sed etiam mala uerba et cogitata. Balduinus opera carnis suo in Commentario exponens hanc adiicit notam: Semper hic cogitetur, perinde esse, siue haec scelera ipso actu siue desiderio ac uoto committantur, nam quando in desideria carnis consentitur, tunc facta dicuntur, licet externus actus non subsequatur. Considerantes igitur animae facultates in intellectu se exerunt peruersi Syllogismi, uanitas in cogitationibus comprehenditur, increbrescit meditatio terrestrium, in uoluntate obbrutescente indurescit fallacia et inimicitia omnis iustitiae.

Certum

Certum itaque est, originale peccatum semper esse actuosum ac inquietum in irregenitis, et terra maledicta prius spinas et lolium proferre desinet, quam uetus homo ferre fructus pessimos. Quaeritur hic non immerito, an etiam actiones ueteris hominis in regenitis deprehendantur? Et si dicendum id, quod res est, fatemur et dolemus, interdum regenitorum bonis operibus contra uoluntatem gratia Dei correctam ueterem hominem sua facinora immiscere, et sanctitatem eorum conspurcare atque obtenebrare. Malum, quod nolo, facio, Paulus ait. Fuerunt quidem, qui hoc dictum non de Paulo regenito, sed de eius statu, in quo fuit ante regenerationem, explicare uolunt; ipse quoque Augustinus aliquando ita sensit, postea tamen sententiam mutauit et de se ipso ceu regenito Paulum loqui demonstrauit, hancque Ambrosii, Hilarii, Gregorii aliorumque fuisse sententiam, ostendit contra Iulianum modo dictus Praeful Hipponensis.

Tandem sicut omnia ad sui occasum inclinant, ita etiam ueteri homini non semper dominari licet, id quod accedit, cum Spiritus S. gratia et auxilio gradu suo deiicitur. Proinde quamuis alteri mortem inferre leges seuere prohibeant, Paulus tamen mentionem Veteris hominis faciens eum remouere ac iugulare iubet. Deponite, inquit ueterem hominem, et hanc depositionem explicat alio in loco per mortificationem. Sed num uetus homo plane ac penitus mortificari ac exui possit, adeo, ut nil quicquam de eo reliquum sit, hanc quaestionem Ioh. Andreas Schmidius

dius mouet, et ad eam sic respondet. Deponi potest uetus homo non simpliciter, sed secundum quid, non enim corrupta natura in hoc seculo prorsus exuitur, sed exui dicitur, quando uitiosum illius impetum retundimus et infringimus, ne prolubit feratur, paeceps in effusam peccandi licentiam. Notum scilicet est, nos a peccato originis liberari 1.) quoad reatum per regenerationem, 2.) quoad dominium per renovationem, 3.) quoad sensum per mortem, 4.) quoad radicem per cinefactionem.

Paulus igitur uolens docere Christianos, quantopere ipsis sit annitendum, ut ueterem hominem, tanquam hostem in se infessissimum uincant ac supprimant, formulam loquendi a specie grauissimi supplicii petit, cum ait: qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt, cum uitiis et concupiscentiis. Quemadmodum autem malefici cruci affixi non primo cruciatuum momento animam efflabant, sed interdum per aliquot dies uiui summis cum doloribus manebant et languebant, ita etiam uetus homo crucifixus quoad existentiam et sensum superstes est, et solummodo quoad dominium in renouatione coercetur, non ita, ut non sit, sed ita, ut non obsit. Atque in hoc sensu Paulus iterum dicit: Mundus mihi est crucifixus, et ego mundo. De qua spirituali carnis crucifixione Lutherus ita loquitur: Clavi sunt uerbum Dei, per impulsu gratiae Dei penetrantes et carnem prohibentes, ne sequatur sua desideria, et Glassius iam laudatus ita declarat: Crucifigere

carnem est concupiscentias carnis edomare et spiritui subiicere, quod non absque acerbo Veteris hominis dolore fit, et aequa, ac si cruci affigretur. Evidem uetus homo placidus et inultus se morti obiici haud patitur, sed sui ipsius suppressionem animaduertens instar indomitae bestiae reluctatur, et sociis Diabolo et mundo stipatus omnibus neruis intentis sic se defendit, ut opus et labor sit, ei lethale infligere uulnus. In qua palaestra anceps illa conspicitur lucta carnis et spiritus, quam tamen gratia Dei auxiliatrice uincere possumus ac carnem sub iugum mittere, modo confortemur in Domino et in potentia roboris eius. Nam maior, qui in nobis, quam qui in mundo est. Depositio igitur ueteris hominis fit per poenitentiam, quae quotidiana esse debet propter reiteratos carnis insultus. Sic Christianus, in quo olim uetus homo dominabatur, iam post ueteris hominis depositionem non amplius mortuus in peccatis, sed peccatis mortuus erit dicendus, et habet quidem peccatum, sed non facit.

Haec sunt fata ueteris hominis, eius ortus et occasus, incrementa ac decrementa, uires et languor. Quo abire iusso se fistit nouus homo, itidem quoad natuitatem, formam, actiones et mortem. Vnius enim corruptio est alterius generatio, et uno in casum dato, existit alter, sicut autem non nascuntur Christiani, inquit cum Tertulliano Hieronymus. Quod intelligendum est de Christianis, quatenus tales sunt. Qua homines nascuntur etiam Christiani, sed qua Christiani non nascun-

nascentur, scil. naturaliter, ex parentibus suis, sed fiunt spiritualiter, quando ex Deo renascuntur. Binos ergo natales homo Christianus habet, unum qua homo, alterum, qua Christianus et natus est. Ille prior est, quo nascitur in hunc mundum, hic posterior, quo renascitur in Ecclesiam uitamque spiritualem. Felicior autem multo est dies ille, quo renascitur homo, quam quo in hanc lucem editur. Hoc enim die naturalem tantum eamque nullis non calamitatibus et ipsi temporali ac aeternae morti obnoxiam uitam haurit, illo autem spirituali donatur uita et uirtute sanguinis Christi mundatus regni coelestis cuius ac haeres scribitur, acceptis simul nouis uiribus, quibus a peccatis sibi imposterum cauere, conscientiam conseruare puram, et ut Dei filius et futurorum bonorum haeres recte uiuere ualeat, quoad quidem in hac naturae infirmitate fieri potest. Noui itaque hominis necessario tamen est aliquis Pater, isque spiritualis, e quo nascatur. Is uero Deus, quia renati eius filii sunt nati non ex sanguinibus, neque ex uoluntate uiri aut carnis, sed ex Deo. Et quia renouatio est opus Dei ad extra, siue tale beneficium, quod Deus extra se in hominibus operatur, ideoque omnibus tribus in una diuinitate personis id commune est; Patri quidem, qui nos sanctificat in omni ueritate, et in omni bono opere perficit; filio, qui in nobis uiuit et habitat, Spiritui S. denique, qui opulenter effusus nos in omnem ueritatem dicit.

Hinc nouus homo est creatura noua siue opus Dei conditum in Christo Iesu ad bona opera. In qua diuina operatione ministri uerbi quidem sunt cooperarii Dei, quoniam uero renatos etiam genuere per uerbum ueritatis, quilibet praeco Dei etiam est noui hominis pater, et credentes cum Paulo filiolos suos nominare potest, quos generauit non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, scilicet per uerbum Dei uiui et in nobis permanentis. Imo ad partum noui hominis aciem mentis accuratius dirigentes, matrem quoque conspicimus nempe Ecclesiam, quae est sponsa Christi, et in sinu suo fouet, nutrit, educat suos charissimos filios, qui postmodum ex hac miseria rum ualle in augustissima coelorum palatia sunt transferendi.

Considerauimus iam fugitiuo quasi oculo natuitatem noui hominis, nunc etiam eius forma paulo penitus est contemplanda. Nouus dicitur non ratione natuitatis naturalis, quod hodie aut heri natus sit, sed ratione natuitatis spiritu alis, quod ex aqua et spiritu renatus quodammodo nouus et a se quasi diuersus factus sit, cuiuscunque sit aetatis. Sicut enim infans recens natus ratione naturae corruptae uetus homo dicitur, ita quilibet renatus, licet centum uel pluri um annorum sit, ob uires ad sancte uiuendum acceptas, nouus homo recte appellatur. Neque nouus homo dicitur, ratione substantiae, quasi absorpta siue corporis siue animae natura, aliam acceperit substantiam, et factus sit homo, a se priori

ri essentialiter diuersus, sed ratione nouarum qualitatum, quae in renouatione ipsi a Spir. S. sunt collatae. Sicut autem renouatio, ita et nouus homo accipi potest uel latius, uel strictius. Latius accepta renouatione complectitur suo ambitu etiam regenerationem et iustificationem. Si enim uim uocis spectes, renouatio potest dici, cum quis deposita ueteri incredulitate donatur fide et sit credulus, quod sit in regeneratione, et eum ueteris culpae remissione impetrata in iudicio Dei reputatur iustus, quod sit in iustificatione, et cum mortificatis carnis concupiscentiis uires accipit sancte uiuendi et in nouitate uitae ambulandi, quod sit in renouatione, et hoc pertinet dictum Pauli: *Qui in Christo est, noua creatura est; Vetera praeterierunt, ecce noua facta sunt omnia.* Strictius uero accepta renouatio a regeneratione et iustificatione distinguitur et describi potest, quod sit actio Dei, qua homini iam renato et in gratiam recepto nouae conferuntur uires, quibus Deo cooperari, carnis concupiscentiis resistere, uitamque denique sanctam uiuere possit. Sanctitas itaque in actu primo est habitus supernaturalis a Spiritu S. per ministerium uerbi in homine renato accensus, quo aptus redditur ad resistendum carnis pruritui et sancte uiuendum. Quo minus uero haec operatio Dei in sensus humanos incurrit, eo clarior patescit ratio, cur Paulus nouum hominem uocauerit etiam internum, et cur legamus, splendorem filiae regis intus esse. Ceterum nouus homo accipitur ab-

stractiue, qui idem est ac sanctitas habitualis modo descriptra, et concretiue, quatenus insuper involuit et significat hominem ipsum, qui tali forma est instructus.

Simul ac uero nouum hominem in actu secundo considerare uolumus, non amplius eius forma, sed potius eius actiones et opera sese offerunt contemplanda. Dum igitur nouus homo concretiue spectatus secundum Spiritum uiuit, internum Spir. S. impulsu sequitur, carnem mortificat, prauis desideriis resistit, et ea, quae bona, quae Deo grata et Christiano digna probat, amat, cupit, quaerit, facit, actiones eius charactere dignae conspiciuntur. Nullatenus igitur nouus homo otiosus, sed maxime negotiosus est, non silit gradum, ne relabatur, pergit, ne deficiat, progreditur, ne ipsi palma praeripiatur, exercet seipsum in Schola pietatis, precationis et tribulationis, ut proficiat, quoisque perfectio hominis hac in uita pertingere potest.

Et quidem in Schola pietatis non obliuiscitur uerbi diuini, sed meditatur legem Dei nocte dieque, praecepta domini, auro desiderabiliora legit, lecta in corde reponit, reposita recolligit, recollecta moribus et uita exprimit. Ab institutis diuinis se uertit ad perfectissimum Sanctitatis Exemplar, suum Saluatorem, huius uestigia legit, et ipsum, quantum potest, in uiuis representat. Christi uerbis uerba, desideriis desideria, et actionibus omnes actiones suas, cor cordi, linguam linguae, et omnia bene conformare intendit, et dolet,

let, si carnis infirmitate praepeditus aliqua uitae parte a regula deficiat, Christoque dissimilis evadat, adeoque amarescit nouo homini totus mundus, ut Iesus dulcessat solus. Quod si propriam uoluntatem in ipso uirtutum tramite contraria deprehendit, seipsum abnegat, uult, quod Deus uult, uult, sicut Deus uult, uult, quando Deus uult, nunquam acquiescit, nisi in uoluntate Dei. Porro cum uidet, sibi digladiandum esse cum Diabolo, omnis nostrae salutis hoste infensissimo, strenue se accingit tota Dei armatura, induit Thoracem iustitiae, et sumto fidei scuto, imposita salutis galea, et arrepto Spiritus gladio in arenam descendit, atque extinctis Sathanae telis pugnam bonam depugnat. In Schola precationis nouus homo iugiter preces ad Deum fundit et eleuata ad Deum mente dulcissima cum eo colloquia miscet, quo indiget, illud magna animi confidentia cum humilitate coniuncta expetit, nil accipit, nisi gratus, et quo magis Dei beneficia expendit, eo maiores grates agit et plausus edit. Tandem in Schola tribulationis etiam fese recte gerit, patienter calamitates tolerando, paternum castigantis Dei amorem agnoscendo et laetum omnis malorum exitum exspectando! Quemadmodum igitur uita naturalis nunquam est sine motu, ita uita spiritualis nequaquam sine uirtutum exercitio.

Quod reliquum est, quaeritur, an nouo homini hactenus delineato mors etiam aliqua sit timenda, et subeunda, et respondetur, omnino, pro diuersa ratione. Nouus homo concretive spe-

ctatus, s. subiectum, quod habituali gratia ad sancte uiuendum gaudet, moritur quidem morte naturali, sed haec mors modo umbra mortis, somnus, quies et transitus ad uitam est. Nam anima ad iustitiam et sanctitatem originalem renovata, discedens a corpore non amittit neque deponit dona diuinitus immissa, sed post excessum e corpore magis perficitur, et tunc maiori gloria, quam in statu moestitiae, *in consummata felicitate* radiare incipit, atque hac ratione nouis homo abstractiue spectatus, quoad animam, in iis, qui in domino moriuntur, non moritur, sed ad augustiorem uitam euectus uiuit in aeternum. Luxta Cypriani ibi non tantum gustat, quam suavis sit dominus, sed impletur dulcedine mirifica, nihil ei oberit, nihil deerit, omne desiderium praesens Christus implebit. E contrario vero maxime deplorandae sunt eorum hominum uices, qui quidem nouo homine induiti fuere, sed malitia uitae de statu gratiae deciderunt; isti enim quidem possunt naturaliter in uiuis esse, sed spiritualiter moriuntur, dum uires gratiae negligunt, protrudunt et amittunt. Et hanc mortem tandem sequitur mors infastissima inter cruciatus infernales et nunquam finiendos.

Haec itaque sufficient, cum tempus forsitan et praesertim Summe Venerandorum Auditorum patientia, quam gratissima mente exoscular, cunctantem moneat, manum de tabula esse detrahendam, in qua leui tantum penicillo et primis lineis et quasi quadam in Sciagraphia ad ductum

ductum tamen Scripturae S. utrumque et ueterem et nouum hominem delineauimus; Vterque si graphicice depingeretur iuxta omnia lineamenta, quilibet, ut puto, fastidiret ueteris hominis liuidam atque distortam faciem, cane peius et angue fugiendam, et conspecta egregia forma hominis noui, totus in amorem et desiderium eius rapeatur. Tandem uero ardentissimis Deum efflagito precibus, ut hanc puriorem et ab omni errorum defecatam doctrinam cum cetero omnis coelestis ueritatis complexu in hac celeberrima Academia usque ad finem seculi personare clementissime iubeat; imo et summum in coelis Numen supplex adoro atque precor, ut Augustissimo et Potentissimo Poloniarum Regi, Saxoniaeque Duci ac Electori, FRIDERICO AVGUSTO, Domino nostro clementissimo, sub cuius gladio et ruta tuti uiuimus, concedat ex alto omnia, quaeunque Christiani Principis uota esse possunt. Et quemadmodum eius Maiores pientissimae memoriae sanam et saluberrimam doctrinam, quae hominem uere tranquillum et beatum reddere potest, in hac celeberrima Academia et tota Saxonia fortiter et sapienter asseruerunt, ita nulli dubitamus, Clementissimum nostrum Regem ac Principem more Maiorum fortitudine et sapientia eo allaboraturum, ut nulla molimina Ecclesiae nostrae halcyonia turbare possint.

Sic nunquam deerunt, nec in hac alma Leucorea ciues, qui extruso ueteri nouum hominem intra cordis penetralia recipiant, foueant,

tueantur, nec in Ecclesia Auditores, qui impuritate uitae relicta litent pietati, studeant, ueliscentur. **DIXI.**

Hic igitur subsisto, sed crastino die ab hora pom. IV. ad V. annuente Deo plura de hac pertractata materia hoc loco edifferere incipiam. Siquidem Autoritate et iussu Max. Reu. et Amplissimae Facultatis Theologicae lectiones cursoriae in Eph. IV. quoad 22. 23. 24. incipienda et successu temporis absoluendae erunt. Dum autem hodie, o uos Clarissimi, Nobilissimi et Doctissimi SS. Theologiae Studiosi me leuiter et breuiter de materia aliqua Sacra, quae unius horulae spatio parum elucidari potuit, disserentem benigne audiuitis, spem mihi imo et fidem fauor vester fecit, fore, ut etiam cras et sequentibus diebus consuetis, indicta hora, Auditorium hoc haud grauatum accedatis et obseruetis, quemadmodum non noua et inaudita, nec potiora, quam ante a uobis audita proferam, sed cum Doctoribus uestris celeberrimis, et maxime uenerabilibus exteri, iisque γνησίως Lutherani in explicandis sacris dogmatibus uno quasi ore consentiant, quandoquidem et uos omnes et singulos, quos quos hic adesse video, ad me ulterius audiendum humaniter ac peramanter inuito.

DIXI.

*** Die

* * *

Die VII. Septembr. habita est Disputatio
Theologica inauguralis, *de summo gradu tenta-*
tionum spiritualium, ad oraculum Paulinum
2. Cor. XII. 7. 8. 9. quam Praeside MARTI-
NO CHLADENIO S. S. Theol.
Doct. ac Professor publico, Aedis ad ar-
cem Praeposito, et Senatus Ecclesiastici
Assessore, pro Licentia summos in Theo-
logia honores consequendi publice defendit
HENRICVS AVGVSTINVS
ANDREAE Superintendent et Con-
sistorii Assessor in Comitatu Schaum-
burgico Lippiae ditionis, ac in eo Ha-
guae Pastor Primarius. Wittenbergae literis
uiduae Gerdesiae plag. 5.

Constat haec Dissertatio praefatione et tracta-
tione. In illa Auctor docet, quam difficile sit,
tentationes, magis adhuc fidelium, maxime
vero spirituales, et summum earum gradum, ex-
cutere; Hocque eo difficilius esse, quo magis ad
abscouditas Dei uias sint referenda. Huius
Exemplum esse Pauli Apostoli temptationes, ad
quas considerandas, ex dicto loco, animum ad-
iecit suum. In hac, quae XXI. absolvitur §.§, §.I.
docet, omnia mala, ab Apostolo in Capite hoc
recensita, sub nomine πειρασμῶν, temptationis, ue-
nire, eamque esse δοκιμασίαν Dei, hominis fidem
experturi. Hinc sequi, fidelibus saltem eam con-
uenire,

uenire, cum tentatio concupiscentiae, quae etiam
in irregenitis datur, ab illa differat, ut generalis
a speciali, quod ex Iacobi I. 14. probat. §. II.
überius de pugna inter *rationem et appetitum* dis-
serit, quam temptationem appellare haut grauatim
concedit. §. III. demonstrat maiorem esse eam,
quae carnem inter et spiritum intercedit, folis-
que fidelibus propriam; id quod multis scriptu-
rae dictis confirmat. Hos uero hic spectari,
uel quatenus sunt membra Ecclesiae militantis,
uel quatenus munere in ea docendi funguntur.
Ad horumque classem referri Apostolum. §. IV.
Tentationum definitiones affert, locumque *Ri-
chardi S. Victoris*, septem harum classes con-
stituentis. Ipse uero partitur temptationem fide-
lium passiuam in aliam, quae est ad bonum, et
in aliam, quae est ad malum. Priorem Deo, non
nisi bene bonaque facienti, (quae etiam eius mens
fit, temptationem ad malum permittendo,) tribuit:
Posteriorem, uidelicet ad malum, uariam esse de-
clarat, §. V. primam huius generis esse *Carnis*,
a cordis naturali praua dispositione ortam, iam
intellectum, iam uoluntatem ferentem; hanc-
que nullum non experiri: praecipuum autem ex
ea periculum esse, ut ne a fide, colendo, amando
et metuendo Deo, auocet. Alteram ad malum
temptationem, *mundi* scilicet, §. VI. exponit,
hancque extrinsecam esse, atque quererere, ut
hominem nunc bonis suis alliciat ac fallat, nunc
minis et persecutionibus terreat. §. VII. Tertiam
harum temptationum classem, *diaboli* nimirum exer-
citusque infernalis, recenset: easque aut simul
corpo-

corporales esse, aut mere spirituales. Illas Iobi Exemplo probat, has alias externas, per species uarias sensibiles, tum concupiscentiales, tum irascibles, internas alias, quae nunc mediate per corruptam naturam, et homines ad nocendum proclives, nunc immediate, inspirante Diabolo malas cogitationes, sunt. §. VIII. Speciatim excutit, quomodo in cogitationibus fidelium, ad rem suam aptandis, occupetur, quum scilicet cogitandum sit homini, a) *de se ipso*, excitare eum cogitationes uoluptuosas, superbas, pusillanimes, ac desperabundas; quum b) *de proximo*, cogitationes in eius bona, honorem, famam, fortunam, emolumenta, noxias, cogitationes erroneas in dogmaticis et moralibus, melancholicas. §. IX. Demonstrat, diabolum, si recenter non sufficerint, tertium temptationum genus suscipere, cogitationis inspirando blasphemias, de quibus *Guil. Parisiensis* allegat uerba pronunciantis: *Spiritum blasphemiae esse Scaturigenum abominabilium cogitationum, et adeo horribilium, adeoque molestiarum, ut eius tentatio plerumque quasi martyrium sit, et quidam etiam potius uellent martyrium, quam illas sustinere, monetque, hanc temptationem etiam dici foedam.* His necessario praemissis §. X. se accingit ad ipsius oraculi considerationem, declaratque Paulum, plerasque, de quibus dictum, temptationes, expertum fuisse, superasse etiam omnes, ab ultima uero inspiratis a Diabolo blasphemis cogitationibus maxime inquietatum fuisse, adeo, ut eandem sit deprecatus. §. XI. Speciatim

tim inquirit in uerba σπόλοψ τῆς σαρκὸς, οὐ τ. λ. remouetque ac refutat uarias de his sententias: nimirum non fuisse morbum corporis, non iniurias externas et hostilitates, non stimulos libidinosos, nec concupiscentias corruptas generatim spectatos, neque rem tetigisse putat hos, qui generatim eam describunt per singularem et intolerabilem tentationem; nec illos, qui consternationem animi subitam ponunt; nec istos, qui dolorem intelligunt de magnitudine peccati; nec Vechneri probat opinionem, existimantis, Angelum fuisse bonum, seuerum Pauli coercitorem, ne ἀρρητὰ ρήματα in raptu audita, effutiret. Neque denique τὸ ἐπέχειν praeferen tes sibi satis consulere censet. Profitetur tamen in genere, nec blasphemias a satana Paulo injectas, satis enarrari posse, §. XII. specialius contemplatur Apostoli uerba in hisque: *ne ego efferrar ac superbiam*, bis repetitis, tum finem Dei, tum etiam ipsius Apostoli indicari, exponitque fusius, quae fuerint, quibus ad elationem Animi potuisset impelli. §. XIII. formam supremi gradus datain in uerbis: ἐδόθη μοι σπόλοψ ἐν σαρκὶ, οὐ τ. λ. exponit, ostenditque iis demonstrari, tormenta haec etiam a carne fuisse orta. Vbi inter alia obseruat τὸν σπόλοπα, teste Lipsio, palum notare acuminatum et munitum, quo quis simul transfigebatur, adeoque morte duplice moriebatur, idque applicat ad Pauli tentationes, addito insigni D. Lutheri loco, §. XIV. ex Verbis: adest ἄγγελος σατᾶ, docet, diabolum carnem accendisse

cendisse, eamque in rem *Frantzii* citat sententiam, et elegantes *Goodwini*, Angli, meditaciones. Deinde remouet eorum sententiam, qui haec ex humorum δυσηρασίᾳ oriri, autumant, allatis quorundam Medicorum sententiis, ut et *Ant. Borremansii* opinionem per Angelum satan, Pseudo-Apostolum quendam, intelligentis. §. XV. Obiectum temptationis huius ostendit, Dei organon, Apostolum Paulum, modumque: repraesentat uidelicet diabolum, nunc iram Dei promeritam, nunc faciem externarum aerumnarum, nunc speciem terribilis mortis, nunc cogitationes in DEVM, eiusque uerbum iniurias, allato eam in rem *Perkinsii* loco, §. XVI. explicat, quid τὸ ιολαφίζειν proprie notet, et quid Paulus eo significarit, quale tandem huic malo parauerit remedium, uidelicet, preces, indicat §. XVII. ubi simul obseruat, singulare fuisse, quod tum orare potuerit, allato contrario *Bernardi* exemplo. §. XVIII. responsum ad eius preces diuinum, expendit quomodo acceperit, quaeque sit illa χάρις, quae sufficere debebat Paulo, scilicet, gratia remissionis et iustificationis, consolationis, patientiae paternae et tolerationis, dispensationis. His quinque subiicit rationes, quare acquiescere potuerit illa in gratia §. XIX. de statu hominis regeniti ac per blasphemias cogitationes tentati, iisque, quae ipsi in hoc quietem reddere possint, differit, et ex *Guil. Perkins* characterismos aliquot summae huius temptationis suppeditat, quorum praecipuum esse iudicat, quod regeniti, cogitationibus omnibus

bus uerbo Dei aduersis, adeoque multo magis blasphemis, horrore quodam et detestatione sancta, absque metu tamen obsistant. §. XX. *Vechneri* obiectiones refutat §. XXI. momenta XXII. proponit, in quae cupit, si quis de allatis dubitet, ulterius inquiri, uotoque pio *Andreae Cesaricensis* rem omnem finit.

* * *

Die XXIII. Sept. Dissertatio Botanico-Medica
De Saluia in infuso adhibenda, huiusque prae Thea Chinensi praestantia
a Praefide CHRISTIANO GODO-FREDO STENTZELIO, Torgauensi, Phil. et Med. Doct. ac Pract.
Vitemberg. Respondente MELCHIOR TEOPHILO FEYERABEND
Lub. Silef. Med. Candidato, publicae eruditorum disquisitioni submissa fuit. Vitemberg,
literis Gerdesianis, pl. 5.

Praefamen, herbarum rerumque in genere patiarum, prae exoticis commendat inuestigationem atque usum.

Thes. I. Variarum herbarum iniicit mentionem u. g. ueronicae, betonicae, herbae paralyseos, quas alii Theae substituere uoluerunt, quibus tamen omnibus, experientia et ratione suffragante, saluiam praestare, euincit. II. De Saluia *κατ' εξοχήν* sic dicta, nobili, hortensi, hic sermonem esse, indicat, et simul methodum hodiernam

distin-

distinguendi herbas, a floribus et seminibus petitam, reicit. III. Aliam contra praescribit methodum, ab exploratione particularum, quibus herbae constant, ope sensuum huc pertinentium, nimirum gustus atque odoratus facta, desumendam, qua mediante etiam cognoscere possimus, Saluiam particulis salino fixis et uolatilibus, nec non oleosis, terrestribus, roborantibus atque aromaticis copiose instructam esse. IV. Theae examinat principia, in paucō sale tenui consistentia, eandemque cum Saluia illo abundante conferens, Theae merito hanc ob usus praestantiam praefert. V. Obiectiones, de nauseosa Saluiae qualitate, inanes atque aniles esse, omnemque nauseam hic a praeconcepta opinione dependere, ipsius experientiae adiumento demonstrat. VI. Infusum Saluiae eodem ut Theae modo parandum, illudque tam cum, quam sine sacharo usurpandum esse, docet. VII. Non tamen exinde sachari abusum, praecipue in iis, qui primas uias cruditatibus acidis obsessas habent, approbandum esse, definit, monetque, ut in principio de infuso Saluiae parum assumamus, eiusque dosin sensim sensimque augeamus, donec de quantitate conueniente certissimus; eadem thesi, uinum saluiatum phlegmaticis, qui uiscidorum humorum faburra laborant, usurpandum, commendatur. VIII. Maxime proficuum infusi Saluiae cum lacte ordinat mixturam, hecticis praecipue, phtisicis, atque aliis de causis emaciatis conuenientem. IX. Duo pertractat, primo noxam infusi Theae cum lacte

IN R. C. H. DE BERGER.

O

iuncti,

uncti, deinde infusi Saluiae cum cereuisia parati, seu cereuisiae saluiatae utilitatem. X. Inuestigat modum operandi infusi Saluiae et Theae, secundum methodum Bontekoe, primum in ore, quo Theam Saluia inferiorem esse, manifestatur. XI. Idem, in uentriculo ab infuso Saluiae expectandum esse, maioraque huius, quam infusi Theae hic esse commoda, rationis euentusque assensu in apricum ducit. XII. Eandem, de uiribus Saluiae, quas in intestinis exerit, syllogen format, una cum demonstratione regiae et uerae uiae, per quam liquida quaevis ex canale alimentorum ad sanguinem alegendantur. XIII. Phaenomenon, de crebriore et copiosiore urinae excretione, post huius infusi usum, ab aucta seri copia, laxiore huius cum sanguine cohaesione, acceleratoq; sanguinis circulo deriuat; Eodem pariter modo, omnibus, usu huius infusi, prospici secretionibus, praecipue separationi liquidi neruei, exponit. XIV. Specialem infusi Saluiae utilitatem in suffarctu pulmonali ostendit. XV. Quid idem ualeat, in mensibus obstructis reserandis, nimiis emendandis, secundinarum lochiorumque expurgatione, et fertilitate in sterilibus procuranda, examinat. XVI. Infusum Saluiae aliaque ex eadem parata remedia, in curanda haemoptysi et dysenteria ualdopere extollit. XVII. Mouet obiectionem, ex multipli atque egregio, Theae a multis Medicis attributo encomio, enatam, hanc uero sufficientibus argumentis, tam a ratione, quam experientia petitis, remouet. XVIII. Ex qua

qua ratione, Saluia, ceu uallopere proficua, in
neruorum debilitate, manuum tremore, paralysi
et febribus acutis commendetur, enucleat. XIX.
Vim Saluiae alexipharmacam, non a qualitate
occulta, sed a ui huius roborante et diaphoretici
ca dependere, iudicat, Saluiamque rite mundatam,
locis minus suspectis satam, in usum trahendam
esse, suadet. XX. Externos Saluiae usus, in curan-
da paralysi, denigrantis capillis, tollendo pru-
ritu testium et partium genitalium utriusque se-
xus, nec non in abigenda stamacace, recenseret.
XXI. Theae infuso, Saluiae, in delenda ebrietate
praefert. XXII. Saluiae infusum cum lacte per-
mixtum, emaciatis et sanguine tenuiore praeditis
suadet, iis e contra, qui morbis chronicis, a se-
rosis cruditatibus prouenientibus laborant, hoc
infusum cum aqua, uel cereuisia, pro subiecti con-
stitutione commendat; ubi uero maxima uisciditas
peccat, et dehinc maiori ui resolutoria opus est, in-
fusum Saluiae cum uino paratum laudat. XXIII. Sal-
uiam, ob conuenientiam cum succis corporis nostri,
prae Thea usurpandam esse, hortatur, decentique
illius usu immaturum uitae finem praeseruari
posse, colophonis loco ponit.

* * *
Die XXVIII. Sempt. de Affectu Magno
mortique proximo, Syncope, eiusque
causis et cura, Praefide ABRAHAMO
VATERO Ph. et M. D. P. P. Anat.
et Botan. Subst. etc. Pro Licentia disputauit

Auctor BENIAMIN SCHICHT,
Goerlic. Lusat. Literis Gerdesianis pl. 3.

Thef. I. Syncopes tradit definitionem, qua eadem totalis fere omnis motus animalis et uitalis abolitio audit. II. Synonyma syncopes, quae sunt, animi defectio, concisura, Spirituum subtractio, continet. II. Diagnosin, a uehementi actionum, tam uitalium, quam animalium laesione, ita, ut eaedem uix superesse uidentur, deriuat. IV. Subiectum huius morbi primarium, cor constituit, subiectum secundarium, omnes partes, quarum consensu motus cordis impediri uel turbari potest. V. Seriem causarum huius mali pertractat, et primo causam proximam, in deficiente sanguinis motu collocat, remotas deinde, a mala uel fibrarum cordis et uasorum sanguiferorum, uel ipsius sanguinis constitutione arcessit, prout praecipue sanguis crassus melancholicus et serofus, huius mali productioni fauere dicitur; his demum causae nonnaturales et praeter naturales adiunguntur. VI. Varios huius morbi gradus, nimirum primum, lipothymiam, secundum, syncopen, et tertium asphyxiā dictum, proponit, cum signis, quibus iste ab Apoplexia, Epilepsia, passione hysterica, Catalepsi, ipsaque morte distingui potest. VII. Improuisam cordis anxietatem, uertiginem, animi perturbationem, capitis grauitatem, uisus obscurationem, iteratam pulsus mutationem, languorem, grauitatem et refrigerationem extremonrum, antecedentia huius morbi signa esse pronuntiat.

ciat. VIII. Prognosin, pro aetatis, causarum, signorumque antecedentium et subsequentium ratione format. IX. Praesente paroxysmo, exfusciationem, quibusuis extimulantibus, tam internis, quam externis tentandam esse, suadet. X. Profligato paroxysmo attendere iubet, an syncope idiopathica, uel sympathica? si idiopathica, reficiatur aegrotus confortantibus, sin sympathica, respiciatur ad partem primario affectam. XI. Venae sectionem in plethoricis et melancholicis ordinat, nec non scarificationem, frictiones et uellicationes. XII. Emeticorum et purgantium leniorum, clysterum, sudoriferorum, diureticorum, aperientium, absorbentium, neruinorum, opiatorum, acidorum, adstringentium, balneorum, thermarum et fomentationum, pro causarum ratione, prudenter hic applicandorum usus enumerat. XIII. Maximam diaetae rationem, in sic dictarum rerum non naturalium usu, habendam esse, ad syncopen prae-cauendam, ultimo ponit loco.

* *

Die XXIX. Sept. RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICVS, CHRISTOPHOR.
HENR. DE BERGER, Com. Pal.
Caef. Pot. Pol. Regis ac Elect. Sax. in
summo Prouoc. Senatu Consiliarius etc.
Interprete GEORGIO FRIDERICO
SCHROEERO, SS. Theol. Doct.
et Prof. Publ. h. t. DECANO, Magni Mi-
chaelis, Angelorum Principis, Festum, toti Aca-

demiae prosperrimum, sequente, quod damus,
Programmate est apprecatus.

Diuus *Apostolus Paulus centurionis Iulii*, cui uincutus erat traditus, et reliquorum uirorum, qui nauigabant in Italiam, animos demissos et oppressos, quibus mare, magnis tempestatibus commotum, acerbum interitum minabatur, non tantum erexit, uerum etiam, officii sui non immemor, homines uanos et multis erroribus implicatos in rectam uiam reducere conatus est. *Adflitit nibi*, dixit a) *bac nocte Angelus Dei*, cuius sum ego, et cui deseruio etc. Omnem angelum esse Creaturam, teste *Epiphanio*, b) putarunt Ariani, idem statuit *Cretius*, c) qui dixit: *Inter se pugnant, esse Angelum et Iehouah*. Hunc nondum uero soluerunt Patres: *Hilarius*, d) in angelo, ait, officii potius, quam naturae intelligentia est. *Lex significationem officii testatur in numero, naturae ueritatem confirmavit in nomine*, cum *Deum dixit; et Epiphanius: Filius pro eo, quod Patris uoluntatem munitauit hominibus, magni consilii angelus dicitur, qui magnum illud consilium mundo significauit*. Angelum uero, qui apparuit *Paulo*, Deum creasse, statuunt omnes interpretes, nec dissentit *Gerhardus*, qui, e) baec dicens uerba: ἀγγελος της Θεως etc. uel intelligentia

a) *Act. 27, 23.* b) *Haeres. 69. c. 34. p. 758.* c) *Vid. Calou. P. 1. Script. Anti-Socin. p. 129.* d) *Lib. 5. de Trinitate §. II. p. 860. edit. Paris.* e) *in Annot. ad cap. 27. Act. et Tom. 8. Locor. de Morten. 474.*

da sunt de angelo creatore, ut Christo, uel posteri-
oria membra non ad angelum, sed ad Deum, re-
ferenda, refellit Pontificiorum argumentum, quo,
putant, probari, angelos religiose colendos esse,
et antecedentibus rationibus demonstrauit satis,
se nuntium, ad Paulum missum, pro angelo crea-
to habuisse. Angelus Domini, quem uidit Ha-
gar, dixit: *multiplicabo semen tuum*, f) et uir-
tutem diuinam sibi adscripsit. Angelus uero, a
quo nuntium bonum accepit Paulus, distinguit
se a Deo, cui, ecce, dicens, *donauit tibi Deus
omnes*, qui nauigant tecum potestatem homines
conferuandi unice tribuit. Paulus non adulatus
est Gentiles, et dixit: *adstitit mihi Daemon*, quem
religiose illi caluerunt, sed *adstitit angelus*. Res
eadem, si autoritati Philonis credendum est, utro-
que nomine indicatur. Nam in libro de Gigan-
tibus g) inquit: οὐς ἄλλοι Φιλόσοφοι δάμονες,
ἄγγελοις Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν. Non im-
probo Sententiam Philonis, si ad sensum et uo-
luntatem quidem Gentilium, qui daemones bo-
nos et malos statuerunt, minime uero Mosis, qui
impietatis omnes condemnauit daemones, horum-
que naturas, a Gentilibus uerbis explicatas, nun-
quam statuit, loquutus est. Opinionem Ludouici Vi-
uis: *Post Christum natum nomen daemonis fuit
suspectum et odiosum, tanquam rei maleficae atque
improbae*, si nimis, illud nomen Sanctos Vi-
ros (nam post Christum natum Gentiles Daemo-

O 4

nes

f) Gen. 16, 7. et 10. g) p. 192. edit. Paris.

nes coluisse, libris Plotini, Procli, Lamblichi et aliorum demonstratur) ante Christum natum odio habuisse, inficiatus est, meam non facio. De hac re statuit rectius Augustinus, b) Nos, sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam uero bonos daemones legimus. Haec sententia displicuit Clerico, i) qui his Pauli verbis: *Quae immolant Gentiles, daemonibus immolant, non Deo k)* se tueri conatus est. Gentiles, ait, non semper malis Spiritibus sacra fecerunt, si eorum animus spectatur, et ipsi Ethnici fassi sunt, sacrificia non offerri Diis, sed daemonibus. Sacrificantes Deo, ipsi, qui in omnibus regnat, nihil materiale offeremus, ait Porphyrius; et daemones, quos, teste Augustino medias uocant naturas, a Diis distinguunt Gentiles. Sacrificia uero facienda sunt Diis, Deorum filiis et daemonibus, dixit Ficinus. l) Pauli autem uerba recte interpretatur Lutherus: *Aber ich sage, daß die Heyden, was sie opfern, das opfern sie den Teufeln, und nicht Gott.* Autor diuinæ sententiae non fuit homo gentilis, cuius uerba ad normam religionis ethnicae debent respondere, sed Vir Dei et Christi Apostolus, qui diuino afflato concitatus, Scripturae Sacrae conuenienter locutus est. A Paulo uero uocantur Daemones, Iupiter pariter et reliqui, quibus Genti-

b) Tom. V. Oper. Lib. X. de Civit. Dei. Cap. 19. p. 526.
edit. Basili. i) in Notis Hammondi N. T. k) l. Cor.
10, 20. l) in Platon. de Legib. dial. 7.

Gentiles sacrificabant, *m)* וְאֶלְילִים *n)* Inutilia, siue idola et haec sunt non Dii *o)* cum his plane conueniunt uerba Pauli : *Sumus homines, annunciantes uobis, ἀπὸ τότεν τῶν ματαίων ἐπιτέλεσθαι εἰς τὸν Θεόν τὸν ζῶντα, ab his uanis conuersti ad Deum uerum p) et sequentia. q)* *Quae immolant gentes, daemonibus immolant, καὶ ὁ Θεός, et non Deo.* Paulus itaque existimat, Daemones gentilium non esse Deum, sed idolum et **אֱלֹהִים**

r) LXX. Interpretes Ἐθυσαν δαιμονίας, καὶ ὁ Θεός Latin. *sacrificarunt Daemonibus.* Si Paulus dixisset : *Gentiles immolant daemonibus, hoc est bonis angelis, et non Deo, orationem suam non ita continuasset : Nolo autem uos socios fieri daemonum.* Societatem bonorum angelorum et Christianorum dirimere nunquam conatus est Apostolus, magnam potius gloriam, quam consequuti sunt homines, in ciuitatem Christi recepti, et in societatem angelorum adiuncti, his praedicauit uerbis : *Accessistis ad Sion montem, et ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam. s)* Paulus uocat bonum nuntium angelum Dei, non quia illum genuit. Dei enim Filius, a Patre genitus, est angelus faciei Domini; *t)* nec quia illum creauit. Nam Deus est malorum quoque Spirituum, quos angelos suos nunquam uocauit, creator potentissimus; multo minus quia ille ange-

O s lus

m) Act. 14, 13. *n)* Leuit. 19, 4. *o)* 2. Par. 13, 9.

p) Act. 14, 13. *q)* 1. Cor. 10, 20. *r)* Deut. 32, 17. et Ps. 106, 37. *s)* Hebr. 12, 22. *t)* Es. 63, 9.

lus ex Deo emanauit. Deus enim ex re nulla compositus, non potest partem a se auulsam emittere; sed suum appellauit angelum, quoniam in pietate, a suo Autore sibi concessa, uitaeque Sanctimonia se stabilem et constantem praestitit, eumque, suum ministrum, Deus, ad nutum et uoluntatem suam se totum conuertentem, incredibili amore complectitur. Sanctus igitur fuit angelus, qui adstitit *Paulo*. *Fuit angelus iste, ait Salmero, u) Pauli custos.* Singulos homines proprios habere daemones ac custodes, opinati sunt gentiles, x) hos sequuti sunt *Cabbalistae*, qui angelum, quem *Plato* custodem, domesticum speculatorum, et singularem praefectum nuncupauit, διάλογος dixerunt. y) Eandem opinionem aucti pati sunt multi Patres z), et *Vasquez aa)* communis, ait, *Sententia est Patrum et Scholasticorum, quam sine graui temeritatis nota negare non licet, et singulis hominibus, cuiuscunque qualitatis et conditionis sint, singulos angelos ad custodiā deputari.* Mariam Virginem peculiarem angelum habuisse custodem, negant quidam Pontificii, qui putant, illam, omnibus angelis perfectorem, nullum tueri posse angelum, et beatam Virginem esse dignam ministris, superioribus angelis,

u) *Tom. XII. Oper. Tract. 57. p. 365.* x) *Vid. Vossium Lib. I. de Orig. Idolol. p. 55. edit. Francof. et Petau. L. 3. Dogm. L. 2. de Angel. c. 7. p. 69.* y) *Vid. Joseph. de Vysin in c. 4. disput. Cabalist. R. Israel Filii R. Mosis de anima p. 275. et ipsam disput. c. 4. p. 12. et c. 32. p. 104.* z) *vid. Petau. l. cit. aa)* *Comment. in Partem I. Thom. Tom. II. disp. 245. c. 1. p. 737.*

angelis, Cherubim aut Seraphim, qui nullum, ut opinantur, hominem custodiunt. Istos argumentis refutare conatus est *Tostatus*, Verborum Christi: *Angeli puerorum semper uident faciem Patris in coelis, infelix interpres.* Nonnulli quoque putarunt, humanam Christi naturam angelum habuisse custodem, quod tamen rectius negavit *Abulensis Episcopus*. Nobis, Lutheranis, non est dubium, quin angeli homines custodiant et tueantur; singulos uero angelos singulorum hominum custodes esse, neque autoritate diuina, neque rationibus comprobatur. Multi sunt angeli, qui iussum diuino hominem pium defendunt, Psalm. XCI.

II. Magnus angelorum exercitus erat ad custodiendum Iacobum paratus. Gen. XXXII. 2. Bene Muis in Comment. in Psalm. XXXIV. 8. *Circum unum Elisaem, numero Regis Syriae exercitu obseuum, plures uisi sunt equi et currus ignei*, 2. Reg. VI. 17. Deus enim salutis suorum adeo est sollicitus, ut uel in unius opem interdum mittat multa angelorum millia, quod uero unus ex illis speciatim curet salvum hominis, angelorum corona cincti, a Sancto Propheta non dicitur. *Noachi filios, Lothum, Agar et Bileamum* notitia angelorum instruxisse Gentiles, recte sentit *Vossius*, uirum, autem, diuina luce collustratum, statuisse, singulos angelos singulorum hominum custodes esse, mihi non persuadeo. Oratus potius animarum, quas ex coelo emanare, et nonnihil a daemonibus pariter ac heroibus accipere, atque descensus, et ascensus, cuius rei praefides uocabantur olim daemones, ita cohaerent cum officio daemonis tutelaris, ut magnam super-

perstitionis gentilis partem absoluant. Cabballistarum error non innititur Voto Eli. *bb)* שְׁלֹום enim non significat angelum, sed pacem, tranquilitatem, salutem, felicitatem et reliqua. LXX. Interpretes uocant שְׁלֹום εἰρήνην, *Petauius, Gorranus cc)* et alii putant *Iacobum Patriarcham* suum angelum peculiarem *dd)* his uerbis probasse: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* *הַמֶּלֶךְ* ait *Iacobus*, et litera *ה* indicat, se loqui de Angelo plane singulari, cuius in Historia *Iacobi* speciatim facta est mentio. Istum *Iacobi* custodem fuisse angelum magni consilii, Dei scilicet Filium, demonstrauit *Cyrillus, ee)* nomine Elohim Angelo imposito. *Ecce, ait, Deus nominatur, item operibus et potentia diuina, qua praeditus est angelus, Iacobi custos. Iacobum liberauit ab omni malo. Deus ne, ait Cyrilus, ipsum a malis omnibus liberauit, an aliquis angelorum, qui sunt creati?* *Iacobus enim malis et corporalibus et spiritualibus fuit expositus. Deus liberator dicitur, Deus Patrum אלְהִים et ff)* qui Iacobo pollicitus est custodiam. *gg)* *Ab hoc Deo, non ab angelo, ait recte Cyrilus, petiit Iacob, metu perterritus, sibi auxilium. hh)* Hic angelus, dicit Iacob, redemit me, *הַגָּאֵל*: Iure scilicet propinquitatis et interuentu pretii me redemit.

bb) *I. Sam. 1, 17.* *cc)* in *Elucidat. Act. c. 12. p. 33.*

dd) *Genes. 48, 16.* *ee)* *Lib. 3. Thesaur. c. 1.* *ff)*

Genes. 31, 5. 8. 13. *gg)* *Genes. 28, 14.* *hh)* *Genes.*

32, 9.

mit. Recte Lippomanus : ii) *Hoc loquendi modo clarissime Filius Dei mundi generalis redemptor denotatur.* Ab hoc angelo petit id *Iacob*, quod in Angeli, Dei ministri, viribus positum non est. Angelum, Dei ministrum, religiose nunquam coluit Patriarcha, ab eo viro, cum quo luctatus est, et a quo benedictionem impetravit, precibus petit, ut beat pueros, eosque et posteros augeat, defendat et tueatur. Hinc nulla ratione innituntur, Tostatus, qui kk) ait : *Deus redemit Iacobum, et hoc fecit per angelum, reliquique Pontificii, qui isti subscribunt, nec non Grotius, qui dicit : Post Deum angelum nominat, ut Dei ministrum.* Hanc opinionem falsam et erroneam esse, recte intellexit Thomas : ll) *Videtur, ait, quod Deum Patrum suorum vocet angelum et sui protectorem et Salvatorem ; Vnum, et postea in singulari dicit.* Benedicat pueris istis etc. nisi forte angelicam benedictionem diuinae benedictioni, tanquam comministram, siue subministram, adiungat. Sed modus loquendi, quem tenet, si bene aduertatur, magis sapit primum modum. Opinionem Gentilium his Christi uerbis : *Angeli mm) pusillorum in coelis semper uident faciem Patris mei, qui in coelis est, defendi putarunt, Origenes, Hieronymus et Pontificii.* Christus equidem ait : *Eorum Angeli uident, minime uero dicit : Eorum angeli, singu-*

ii) in Catena in Genesim p. 876. kk) Tom. I. Oper. in Comment. in Genes. p. 728. ll) Vid. Exposit. auream in Genesim p. 118. mm) Matth. 18.

singuli custodes, singulorum angelorum uident. Dicere non poterant, ait Stapletonus nn) Angelus eius, sed angelus aliquis, dicere debebant, si non peculiarem Petri angelum intelligerent. Si quis diceret: Nemo in fortunas Iesuitarum inuadat. Nam eorum custodes, qui collegium Iesuiticum cingunt, hostibus illorum minantur cladem, sane singulos milites seu custodes singulorum Iesuitarum custodes esse, non statueret. Cum illa uerborum Christi interpretatione pugnare uidetur responsum, quod olim Christiani seruae Petri, in carcerem inclusi, praesentiam illis notam facienti, dederunt; dixerunt enim: *) ὁ ἄγγελος οὗτος εστιν Christianos, diuino afflato concitatos, uerba illa fecisse, probent Pontificii. Quidam Theologi putant, Christianos credidisse, angelum corpus assumptissimum, corpori Petri non dissimile, et apparuisse; existimo uero, opinionem Cabballistarum, qui singulorum hominum singulos custodes angelos esse, statuant, multorum hominum animos occupasse, et illa notitia fuisse imbutos Christianos, qui dixerunt: *Est eius Angelus.* Maria uirgo fuit peccatrix, cui benevolentiam Dei Christus conciliauit, ideoque multi procul dubio adfuerunt angeli, ad mala propulsanda paratissimi. Homo *Christus Iesus*, uirtute diuina instructus, usus non est angelorum auxilio. Angelus quidem Christi animum, summis calamitatibus oppressum, erexit et recreauit, et angeli Christi ministri fuerunt

nn) Tom. 3. Oper. Antidor. Apostol, in Act. Apostol. c. 12. p. 405. *) Act. 12, 16.

runt semper, nunquam autem Custodes eius et defensores. Gentiles singebant animo et cogitatione Deos multos, horumque ministros et satellites uocabant daemones; *Paulus* uero suam confitebatur religionem, et laudabat Deum tantum unum et cultu religioso unice dignum. Non enim dicebat: *Ad me accessit Deorum daemon*, sed ἀγγελος της θεως, και ειμι. *Paulus* non tantum laudabat Deum, naturae suae causam, non unice Goëlem, et Angelum Faciei Domini, qui suo sanguine omni poena illum liberauerat, fide et ciuitate Christiana donauerat, gratiam delictorum omnium fecerat, et filium sibi adoptauerat, uerum etiam Regem, Ecclesiae caput et Summum Prophetam, qui illum Dei ministrum magnumque Apostolum constituerat. Hunc religiose colebat et uenerabatur. Dicebat enim ὁ λατρεύων. Haec uerba non bene interpretatur *Nicolaus Gorranur.* oo) *In seruio in Euangeliō*, hoc enim antecedentibus Pauli uerbis και ειμι indicatur. Erat enim δελθος Ιησους χριστου, κλητος απόστολος, et λατρεία non actu ministeriali absoluitur, sed complectitur totum cultum religiosum, superstitioni Gentilium oppositum. Iesuita quidam *Paderbornensis* olim putauit, *Paulum* religiose angelum creatum coluisse, et, angelos colendos esse, exemplo *Pauli* probare conatus est; uerum particula ὁ cum Deo, non cum angelo componitur. *Λατρείαν* esse cultum, soli Deo conuenientem,

non

oo) in Eludicat. Actuum Apostol. p. 57.

non pauci statuerunt Pontificii, qui cultu Pauli, a superstitione apertius distincto, invocationem angelorum demonstrare nunquam sunt ausi. pp) Ista uero argumenta, omnium consensu dignissima, uel non legit, uel animo non recte considerauit **Paschasius Quesnel**, qui Pauli uerba sequentibus, ex uersione petitis, sententiis illustrare nititur. *Man ehret, ait, qq) die Bedienten der Fürsten, weil sie mit ihrer Macht bekleidet sind, und der Canal seyn, durch welche alles, was zwischen ihnen und dem Volck abzuhandeln ist, geber: und man will es übel nehmen, daß man die mit der Macht Gottes bekleidete Engel, die Diener seiner Liebe, die sein Wort zu den Menschen tragen, ehret? le-suitae Paderbornensis argumentum cum nouo quidem coniunxit Quesnel. si uero Lutheranorum scrutatus esset libros, diuinis rationibus, quibus illi ueram sententiam tuentur, convictus, cultum quidem ciuilem, non uero religiosum, angelis tribuisse. Rex et minister eius sunt homines, et uterque cultu ciuili dignus est; Deus uero solus religiose colendus est. rr) Re-cte Quesnel. ss) Gott allein ist recht würdig, ihn diene, ihn anbete und liebe. Et quoniam una tantum cultus religiosi est species, cultus religiosus, quem uocant δράσια, non conuenit angelis.*

Ecclesia

pp) uid. Affellmanni P. I. Syntagn. p. 728. seq. Gerb. Tom. 8. Locor. de Morte. num. 474. et in Confess. Cathol. L. 2. P. 2. Artic. 10. c. 2. p. 553. edit. in 4.

qq) Im Neuen Testamente p. 2013. rr) Matth. 4,

10. Deut. 6, 13. ss) Im Neuen Testam. p. 16.

Ecclesia Christi, *Ciues Academiae nostrae Optimi et Commilitones Dilectissimi*, instar nauis est, quae non uenti impetu', sed incursione hostium agitatur et prosternitur. Haec gerit bellum, non cum foedissimis maris monstris, sed cum dracone infernali, huiusque angelis, qui maximo furore inflammati, *Lutheranos*, et potissimum *Christi ministros*, diuinae doctrinae defensores, tristissimis omnibus persequuntur. Id uero ex bona fide agite, quod *Paulum* prudenter fecisse, percepistis, doctrinam ueram a falsa distinguite, eamque palam ab hostibus defendite, solum Deum colite religiose, et pietatem uestram re ipsa demonstrate, nobiscum ad aram Dei accedite frequentes, et afferte munus Ministris Ecclesiae. Hi omnibus precibus orabunt Deum, ut Dei angelus uobis sit praesto, et ab omni calamitate uos defendat, et tueatur. P. P. Festo Michaëlis A. O. R.
clo Icc XXIII.

* * *

Vno eodemque die Ciues Academicos, sermone ligato, ad munera consueta offerenda, more antiquitus recepto, inuitauit **FRIDERICVS STRVNZIVS, P. P. P.** Huius autem erat tenoris :

Albanus heros, rumpat ut ilium
 Codro, petebat Colchida nauibus,
 Fortissimorum congregata
 Helladica iuuenum cohorte.

IN R. C. H. DE BERGER.

P

Abscen-

Abscendit arceis ad superas poli
 Mundi Redemtor, Christus ut imperet
 Et mortuis, uiuisque, coetus
 Atque pii tueatur ausus.

Argoa nauis Thessalicos uiros
 Trans aequor altum deuehit inclutos,
 Portatque Colchos ad feroceis
 Incolumeis animis et ore.

Coetus sacratus, ceu ratis hospita,
 Nos ducit omnes per mare turgidum
 Mundi furentis, dum uenimus
 Sidereo alacres ad orbeis.

Functi periclis pluribus arduis,
 Grandeis labores suscipiunt duces
 Graeci, reportent ut dicatum
 Vellus Enyalio potenti.

Nobis quot hostes insidias struunt?
 Peccata, mundus, Tartarus et caro
 Ac mors furit, uictoriisque
 Ancipitem, dubiamque reddit.

Virtute magni uincit Iasonis
 Agmen Pelasgum, uellus et aureum,
 Rex Aeta quamuis et repugnat,
 Abstulit, in patriamque duxit.

Victore Christo, uincimus, optumi,
 Nolite fortes cedere praeliis,
 Quamuis draco saeuus resistit,
 Perpetuo Stygias phalangeis.

Caedit

Caedit draconem nauis Ionicae
Dux, atque tauros igniuomos domat,
Et militum uincit cohortem
Dente satam sobolem draconis.

Hostes quiescent, fidite, fidite,
Deiecti ab altis sideribus iacent
In tartaris, uinclisque stricti,
Amplius haud miseris nocebunt.

Gaudete coeli et coelicoli, salus,
Regnum, potestas splendidius nitet,
Virtute Christi parta, cunctis
Hostibus ex acie fugatis.

CIVES, quod estis participes boni
Tanti, ualentes atque fruimmini
Tot coelitum fida phalange,

MVNERA FERTE DEI MINISTRIS

Sacro Michaëli die P. P. Ann. cl^o Iocc XXIII.

* * *

Die IV. Octobris, Febris Petechialis Epidemicae, qua annis abhinc duobus, nimirum An. 1721. Vitembergia eiusque uicinia afflita fuit, Historiam, Praeside IOANNE THEODORO NEVCRANCIO, Med. Doct. publice proposuit GEORGIVS ANDREAS GEYSSIVS, Vindesh. Francus, Philos. et Med. Candidatus. Vitemberg. literis Gerdesianis. pl. 3.

Promoemium, nimis tepidam squalidamque hysmis An. 1721. constitutionem, febris primum intermitterit, continuae quoad indolem maxime similis, causam, et hanc deinde subsequentis febris petechialis malignae prodromum accusat.

Thes. I. Hanc febrim, iuuenibus phlegmaticis maxime infestam fuisse, commemorat. II. Signa huius antecedentia et principium morbi. III. Augmentum, IV. Statum, V. Declinationem describit. VI. Hanc febrim aliam acquisuisse indolem post Solstitium aestivale, eandemque mitiorem factam, indicat. VII. Peruersa diaeta usos, huic morbo non solum maxime obnoxios fuisse, sed eodem etiam maiore cum periculo laborasse, perhibet. VIII. Aluum apertam hic maxime profuisse, adstrictam uero multum nocuisse, enarrat. IX. Diarrhoea intempestive cohibita, adhibitis deinde uolatilibus, purpuram albam post petechias exortam docet. X. Sudorem enormem in morbi principio, malum fuisse, e contra lenem, eandemque per totum morbi decursum aequalem, bonum pronunciat. XI. Ipsarum macularum paucitatem, uel multitudinem, nihil ad morbi magnitudinem contulisse, dicit. XII. In genere de huius morbi cura loquitur. XIII. Maculas nihil ad morbi decrementum uel augmentum contribuisse, ex th. XI. repetit. XIV. Aliter uero se rem habuisse docet, quando ex frigore, uel aliis causis, maculae improuide fuerint repulsae, subsecutis nimirum grauissimis symptomatibus. XV. Cerebrum narium haemorrhagiam et uomitum cum singul-

singultu, periculosa fuisse indicia, dictitat. XVI. Surditatem, auditus difficultatem, pulsum sensim sensimque accrescentem, in fine morbi, bonum praesagisse euentum, affirmat. XVII. Remedia salino uolatilia oleosa in hoc morbo reiicit. XIIIX. Purgationes tam praeseruationis, quam curacionis gratia penitus damnat, illisque substituit clysteres. XIX. Idem de uomitorii fert iudicium. XX. Venae sectionem, scarificationem et uescicatoria pariter reprobat. XXI. Opiatorum usum in progressu et fine morbi, commendat. XXII. Bezoardica acidis temperata, ceu hic ualde proficia, praescribit. XXIII. Remedia externa, aromatica, spirituosa laudat. XXIV. Ordinat aërem temperatum, cibos facilis digestionis, eosque simul gratos. XXV. Praeseruationis gratia, neglectis remediis superius reprobatis, bezoardica terrea, bono cum successu adhibita fuisse, asserit. XXVI. Constat repetitione antecedentium maxime uulgarium et quibusuis notarum, et probatione, qua Autor ultimo demonstrare annititur, febribus, de qua dissertatio conscripta est, fuisse continuam, epidemicam, malignam et petechiale.

* * *

Die X. Octobr. RECTORE ACADEMIAE
MAGNIFICO CHRISTOPHOR.
HENR. DE BERGER, ICto Ce-
leberrimo, Ordinis Philosophi h.t. De-
canus MARTINVS HASSEN,
Moralium et Ciuilium P.P. et eodem
tempore

tempore Imperiali Auctoritate constitutus Comes Palatinus, Schedula patente intimauit publice, quod nonnullis Philosophiae Candidatis praemium summum, Magisterii Philosophici Gradum, insignia et priuilegia ad diem XVI. Octobr. in Brabeuterio magno auctoritate publica sit collaturus.

* * *

Die XVI. Octobr. Ordinis Philos. DECANVS, MARTINVS HASSEN, Moralium et Ciuilium Prof. Publ. idemque hoc tempore Imperiali auctoritate constitutus Comes Palatinus, in ipso Magisterii actu solemni, elegantem de B. Lutero, ambulante quodam uirtutum omnium quasi systemate, habuit Orationem, dignam, quae Tecum, Lector Beneuole, communi- cetur.

Rector Academiae Magnifice,
Viri Praenobilissimi, Experientissimi, Amplissimi, Excellentissimi, perquam Reuerendi, Clarissimi, Praecellentissimique, Domini Patroni, Collegae, Fautores et Amici, omni, quo par est, cultu et amore prosequendi, Vosque Generosissimi, Nobilissimi, Ornatisimique Domini Commilitones.

Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit!
Hac prisca comprecandi formula merito
 nunc

nunc utor, cum Summos in Philosophia honores iterum collaturus, in rostra haec Academica ascendi. Sextus iam agitur annus, ex quo, in publica sacri secularis celebritate, in ipso illo templo, quod *Divi nostri Lutheri* suggestum, ossa et effigiem etiam nunc custodit, tribus et quadraginta Viris, doctrinae uirtutisque laude cumulatis, partim Philosophicae, partim Poëticae lauri ornamenta, ex incliti Collegii Decemuiralis auctoritate, sum impertitus. Quae dierum illorum felicitas si tanto illustrior, tantoque insignior haberi debet, quo rarioea publicis Academiarum Doctoribus obtingit, certe non exiguum ex eo capit incrementum, quod hodie in splendidissimo eruditorum confessu unum et triginta Candidatos, numero quidem paulo minore, at uirtute omnino pari, honorificis Magisterii Philosophici titulis denuo exornare possum, idque in publica hac cathedra, *Divi pariter Lutheri* memoriae sacra. Ecquid igitur siue laetius, siue auspicatius mihi euenire potuisset, quam semel atque iterum muneris honestissimi partes ex eo peragere loco, qui sempiterna tanti herois gloria etiam nunc circumfulget? Est nimirum Martinus Lutherus uir ille diuina excitatus benignitate, qui suo in emendandis tum sacris, tum profanis studio id effecit, ut fide puriore Ecclesiae, disciplina cultiore Respublicae, salute certiore societas omnes perfruantur. Quantopere quidem Megalander noster de Ecclesia sit meritus, quantumue ei beneficium, restituto coelestis ueritatis splendore,

praestiterit, res adeo confessa est, ut nemo, nisi pertinax sanctioris fidei hostis, illam in dubium uocare, nedum negare sustineat. An uero immortalis hic Doctor in ea Philosophiae parte, quam ego publice priuatimque profiteor, similem collocauerit operam, inter eruditos identidem disceptatur. Neque enim desunt, qui excolendae moralis ac ciuilis Philosophiae studium non adeo curae ipsi fuisse, contendunt. At enim uero iniuriam hic fieri laudatissimo uiro, uel ex eo patet, quod fructuosam in scholas et Academias doctrinam introducturus, id ante omnia egit, ut Philosophiam Aristotelico-Scholasticam, urypte spinosam ac prope inanem, de suo, quem usurpauerat, dominatu deiiceret, dejectamque intra debitos coarctaret limites. Quippe in eam tum stoliditatem delapsi erant doctores, ut non studiosae tantum iuuentuti Philosophiam istam, omnis instar sapientiae, perdiscendam, proponerent, sed Stagiritae etiam libros cum sanctissimis uirorum θεοπνέυστων scriptis compararent, eosdemque sacrorum loco textuum, plebeculae pro concione exponerent, ipsum uero Philosophum, hominem Ethnicum, ne quidem de DEO Deique prouidentia satis edoctum, ita Christi Seruatoris praecursum in naturalibus dicerent, quemadmodum Io. Baptista fuerit in gratuitis. Crassam hanc impudentissimamque inscientiam aegre ferens diuinus noster Doctor, id sedulo curauit, ut Aristotelis Moralia perinde ac cetera eius scripta a templis aedibusque Christianorum sacris exulare, in scholis

scholis autem et Academiis seruire, non domina-
 ri, iuberentur. Voluit hoc sibi iudiciis, de Phi-
 losophia Aristotelica identidem latis, uoluit exhorta-
 tionibus, Philippo Melanchtoni de amplecten-
 da frugi Philosophia grauiter factis, uoluit li-
 bris tum praecpta tum exempla morum com-
 plexis. Quis ignorat, quid emendatae hic disci-
 plinae assertor de dignitate et officio Principum,
 de subditorum fide et obedientia, de pacis belli-
 que ratione, de seditionis scelere et infamia, de
 prauitate usuraria, de sanctitate coniugii, de pa-
 rentum amore, de concordia et amicitia, de pati-
 entia et constantia scripserit? Quis ignorat,
 quot epistolas, praceptionibus, exhortationi-
 bus precibusque refertissimas reliquerit? Quis
 ignorat, quantum colloquiis inter prandendum
 habitis familiares suos ac conuiuas erudiuerit?
 Quis denique ignorat, quam concinna fabularum
 Aesopicarum uersione, quam apta interpretatio-
 ne, quam iusta applicatione hominum mores for-
 mare studuerit? Nec alienam a doctrina sua
 uiuendi rationem noster tenuit, sed potius suo
 Doctoris integerrimi exemplo aliis praeiuit. *Dio-*
nyssum Longinum, praestantissimum dicendi Ma-
 gistrum, *Eunapius* Bibliothecam uiuam et ambu-
 lans quoddam Museum appellasse scribitur. Non
 inepto sane nomine, Auditores, incomparabilem
 nostrum Doctorem, MARTINVM LVTHE-
 RVM, Ethicam uiuam et ambulans quoddam vir-
 tutum omnium quasi *Systema* dixerimus. Quot
 enim et quantae uirtutes in omni eius uita non

eluxerunt? Quantus honestatis amor, quanta
morum innocentia, quantum probitatis studium
de acerrimis etiam hostibus non triumphauit?
Dicere possem de sincera eius pietate, quae
ipsum Melanchtonem, coniunctissimum ipsius ad-
iutorem, non semel in admirationem rapuit. Di-
cere possem de temperantia eius ac sobrietate,
cuius certissimum pariter testem Melanchtonem
habemus. Dicere possem de castitate, cuius a-
more permotus, cum aliquando studiosam iuuen-
tutem a nefanda libidine ac scortorum pollutio-
ne precibus minisque frustra esset dehortatus,
Merseburgum indignatus fecessit, ibique tam diu,
donec honorifica reuocatus est legatione, perman-
fit. Dicere possem de abstinentia, qua non
oblata tantum munera generoso animo recusauit,
sed debitam quoque pro laboribus mercedem
saepe condonauit. Dicere possem de mode-
stia, qua fidelem Dei seruum humiliter se profi-
tens, uanos honorum titulos, nostri alioquin seculi
illecebras, spreuit. Dicere possem de toleran-
tia, qua humanarum uicissitudines rerum aequa-
biliter tulit. Dicere possem de liberalitate, quam
in egenos maxime bonarum artium studiosos
exercuit. Dicere possem de sinceritate, qua o-
mnes astutiae artes longissime a se fugauit. Di-
cere possem de --- Sed paucis dicam omnia. Fuit
diuinus noster Lutherus in religione purus, in
pietate sincerus, in probitate inculpatus, in fide
certus, in amore firmus, in ira mansuetus, in cari-
tate promptus, in felicitate temperans, in afflictio-
ne

ne patiens, in periculis prudens, in fiducia con-
stans, in incessu grauis, in aditu facilis, in collo-
quio suavis, in sermone affabilis, in congressu co-
mis. O amicissima tot tantarumque uirtutum con-
iunctio ! O felix Germania , quae tam eximio
Heroë nobilitari potuit ! O felix Islebia , in
cuius gremio immortalis hic Phoenix nasci de-
buit ! O felix Vitemberga , cui illustre hoc do-
ctrinae uirtutisque ornamentum amplecti conti-
git ! O felix haec cathedra , quae diuinis tanti
morum magistri doctrinis supra duo iam secula
personuit ! Scultetum, non incelebrem inter
Reformatos Doctorem, saepius praedicasse, scri-
bunt, quod ex uariis quondam gentibus studiosi,
Lutheri et Melanchtonis gratia, Vitebergam pro-
fecti, ad primum oppidi conspectum, gaudio ex-
ultauerint, ac manibus complicatis DEO egerint
gratias, quod eum uidere locum sibi contigisset,
unde exoptata saniorum doctrinarum lux in re-
motissima quaeque regna fuerit dispersa. Quidni
nos, Auditores, maxima pariter laetitia ideo affi-
ceremur, quod purior utiliorque morum Philo-
sophia, perinde ac ceterarum artium praestan-
simarum disciplina cum ueriore Dei cognitione,
in nostra etiam nunc Academia floret ? Laetamur
certe, hodieque collaetamur, cum in Lutherano
hoc Auditorio, in Lutheranis his subselliis, in Lu-
therana hac cathedra, doctrinae γνῶσις Lutheranæ
cultores alumnosque conspicimus. Oramus
quoque Deum, omnis sapientiae statorem, ut
sacrum coelestis thesauri depositum nostrae por-

ro custodiae relinquat, ut augustam hanc doctrinæ uirtutisque Lutheranae sedem ad suprema seculi fata conseruet, ut docentes in ea discentesque ardenti ueritatis amore inflammeret, ut dogmatum sincerorum hostes ex tetra errorum caligine eripiat, ut omnes montis huius Sionitici incolas uberrimo pietatis Lutheranae fructu foecundet, ut denique Serenissimum Potentissimumque Regem nostrum, Academiae Nutritium multo Clementissimum, et Patriae Patrem Optimum, una cum Coniuge religiosissima, et universa Domus Regiae et Electoralis Familia augusta protegat, Rutamque Saxoniam, a tot seculis inde usque florentem, exornet, amplificet, propaget. Dux.

* * *

Eodem die Idem, Ordinis sui DECANVS,
MARTINVS HASSEN, Moral. et Ciuil. P. P. reliqua, Magistris, quos profert nominatim, recens creatis, gradum, rite impetratum, sic fuit gratulatus.

Nomina ordoque MAGISTRORVM.

I. *Samuel Theodorus Quellmaltz*, Freibergensis, Medicinae Doctor.

II. *Ambrosius Fuchs*, Meldorpio - Dithmarsus, Medicinae Licentiandus.

III. *Guilielmus Krudboff*, Stada - Bremensis, Ecclesiae Torgauiensis Diaconus.

IV. *Ioannes Fridericus Hoffmann*, Ecclesiae Rotanae Pastor Substitutus.

V. *Ioan-*

- V. Ioannes Iacobus Taddelius, Suerino Megapolitanus.
- VI. Ioannes Georgius Barth, Paserino Lufat.
- VII. Gotthelf Sigismundus Nackius, Weissigio-Misnicus.
- VIII. Ludouicus Fridericus Falcknerus, Lipsiensis, Medicinae Candidatus.
- IX. Ioannes Fridericus Grossius, Saathayna-Misnicus.
- X. Ioannes Gottlieb Froehl, Oberpoelnizio-Variscus, Scholae Müchl. in Thuring. Rector.
- XI. Ioannes Georgius Schneiderus, Martisburgensis.
- XII. Ioannes Fridericus Brunner, Brandisio-Misn.
- XIII. Paul. Ephraim Allmerus, Ranisdorp-Saxo.
- XIV. Ioannes Iacobus Greiff, Misnenensis.
- XV. Ioannes Gottlob Ertelius, Zittauia-Luf.
- XVI. Sigismundus Christianus Klofius, Durlacensis.
- XVII. Ludouicus Fridericus Haertelius, Loesnitio-Misnicus.
- XIX. Matthias Marcus Roth, Wonnseesa-Franc.
- XIX. Christianus Fridericus Bockius, Stolberga-Misnicus.
- XX. Ioannes Godofredus Klemmius, Branda-Misn.
ad aedem S. Annae, quae Dresdenae est,
Cantor, et S. S. Ministerii Candidatus.
- XXI. Georgius Christianus Wolff, Freiberga-Misnicus.
- XXII. Ioannes Godofredus Cleemannus, Chemni-censis Misnicus.
- XXIII. Theodorus Gottlob Manitius, Hauswaldal-Lufatus.

-
- XXIV.** *Christophorus Kretschmarus*, Grossdiermansdorffio-Misnicus.
- XXV.** *Ioannes Andreas Güntherus*, Barutho-Saxo.
- XXVI.** *Fridericus Augustus Schoenbornius*, Königsbruga-Lusatus.
- XXVII.** *Andreas Simon*, Kemberga - Saxo.
- XXIX.** *Ioannes Gottlieb Gerstaekerus*, Naundorffio-Misnicus.
- XXIX.** *Ioannes Theodorus Deutrich*, Zadlensis Misnicus.
- XXX.** *Ioannes Georgius Vblmannus*, Hirstenio-Misnicus.
- XXXI.** *Tobias Jacobus Ritschius*, Suidnicio-Siles.
-

Praemia quae tribui doctrinae digna, MAGISTRI,
Fausta DEVS VOBIS omnibus esse uelit!

* * *

Die XIV. et XVII. Calend. Octobr. Dissertatione Philologica : Num Deus dicatur אלהי inito foedere cum populo Israelitico ut imperator bellicus ? contra FR. FORTVNATVM SCACHVM, Praefes M. IOH. FRIDER. MICHAELIS, Vitemb. Sax. et Respondens HENRICVS GAETKE, Ostia-Bremen. disquisuerunt Literis Gerdes. pl. 6.

Praeter praefationem Dissertation tribus absolvitur Sectionibus. *Sectio I. Originem erroris Scachi circa nomen diuinum אלהי, ex uitae eius*

eius ratione petitam, sifit simulque statum contiouersiae nectit. §. 1. Fr. Fortunatus Scachus natione Italus, nativitate spurius, ex ciuitatis Anconae gente ortus, Pontificio diplomate ius legitimae prolis ex parte obtinuit. Ariminum studiorum causa primum concessit, postea in Hispaniam conmigravit. §. 2. Notitia linguae Latinae fuit maxima, Graecae minor, Ebraicae minima. §. 3. Inter opera ipsius eminent quoque Elaeochrismatō Myrothecia. §. 4. Licet laus huic operi insigni non deneganda sit, non tamen probandum, quod Scachus scriptis suis nomen suum immortalitati commendare, primario proposuerit. Quae gloriae cupiditas causa fuit tot digressionum et opinionum domesticarum, quae eum a uulgo distinguerent: cuiusmodi est opinio ipsius de nomine diuino ■ אלֹהִי. §. 5. Statutus contiouersiae formatur. Deus quidem fuit summus belli Israelitici, contra Cananaeos suscepiti, dux obtinuit quoque θεορετία ad tempora Saulis usque; negatur autem, *formalem rationem*, quare Deus ■ אלֹהִי dicatur, foedere, cum Israelitis inito, *in officio imperatoris bellici* collacatam esse. *Sectio II.* Scachi quinque arguenda examinat. Quorum *primum* est: Nomen ■ אלֹהִי est *nomen dignitatis externae*. §. 1. Primo, non incongruum esse, putat, si dicatur, nomen ■ אלֹהִי innuere *principalem aliquam dignitatem*, qualem exhibuerint apud Romanos Caesaris et Augusti nomina, apud Aegyptios Abimelechi etc. Sed, quia eiusmodi nomen, quod reges

reges principesque a maioribus suis assumserunt, Deo nulla ratione tribui potest, itaq; statuit: Nomen **אלֹהִים** uerius ui uocis *dignitatis* esse, qualia sunt nomina *Regis*, *Ducis*, *Imperatoris*, *Papae* etc. quae nulli sunt *propria*. §. 2. Posito, **אלֹהִים** esse nomen *dignitatis externae*, non tamen sequitur: ergo Deo, ut imperatori bellico Israëlitarum, foedere cum iis inito, competit. Videatur tamen Fortunatus dicere uoluisse, quod Deus **אלֹהִים**, ut imperator bellicus, appellari potuerit. §. 3. negatur **אלֹהִים** esse nomen *dignitatis externae*. Vox **אלֹהִים** est nomen *proprium Logicum*, ac Deo ui *religiosae adorationis* competit. §. 4. Non autem est nomen *proprium Grammaticum*, siquidem huius requisita, quae recensentur, respuit. §. 5. Hieronymi, Abarbanelis aliorumque error de **אלֹהִים** reiicitur. Deinde Autor asserit, §. 1., nomen **אלֹהִים** aliis praeter Deum adscribi. §. 2. Illud Mosi, angelis, iudicibus *secundario* competit, negari non potest. Per filios Dei Genes. VI. 2. coll. IV. 26. rectius *pii* intelliguntur. Male Scachus Ps. §2. 1. **אלֹהִים** iudicibus adiudicat, obstat enim ipsi *Tipchcha*, minor Silluki *distinctius*, atque *Munachus coniunctius*. §. 3. Modus explicatur, quo **אלֹהִים** Mosi, Diis *spuriis* tribuitur. Angelis atque iudicibus ut *uicariis Dei* imponitur adeoque illud ad *Deum ipsum* refertur, §. 4. neque est nomen *dignitatis externae*.

Argumento III. contendit, quod **אלֹהִים** ab

ab אלהַ נָא formetur, §. 1. atque אל denotet *fortem, bellicosum, radix אלהַ uero iurare* significet ac *iuramentum illud, quo se Deus ueluti obstrinxit, indigit.* §. 2. Sed non sequitur: qui potentia alios praestat, *imperator* dicendus est. Nec quoque Deus propter unicum illud, sed quodlibet, foedus dicendus esset אלהַ נָא. §. 3. 4. et 5. אלהַ נָא neque ab אל et אלהַ נָא separatum neque coniunctim summis deriuari potest. §. 6. Hinc Schacho notitia linguae Ebraeae maxima denegatur.

Argumentum IV. ex Deuteronomio XXVI. 17. 18. desumptum est. §. 1. Scachus ex h. loco *electionem* Dei ad *dignitatem*, uoce אלהַ נָא denotatam, elicere studet. §. 2. et 3. *Electioem* ex *הַאֲסֹרֶת* euincere conatur. Adducuntur variae de sensu huius uocis sententiae. Eam uero h. l. *profiteri* notare asseritur, licet Schacho Vulgata faueat. §. 4. *Dignitatem*, ad quam electus fuerit, ex אלהַ נָא probari posse autem. Sed אלהַ נָא dignitatem *internam*, quam Deus ab aeterno possedit, innuit. (Vid. Argum. I.) Haec loquendi ratio etiam ante et post illud foedus in S. Scriptura occurrit.

Argument. V. a foedere, inter Deum et populum Israëlitarum in monte Sinai firmato, desumptum est. §. 1. *Quod autem falso pro nudo legali* habet: Non enim *leges militares*, sed *totum cultum diuinum in Christo respicit.* §. 2. Errat quoque, *Summum Numen in hoc foedere non ut Deum, sed ut imperatorem Israelitici exercitum*

citus considerari posse. Quum potius ut *Dominus supremus* unice, attamen simul, ut *Pater benignissimus* spectandus sit. §. 3. Deus quoque *Populo Israelitarum* non fuit *alligatus* nullumque ad *ecclesiam* illam *uisibilem ui extera* coagit. *Terra Canaan* uero illi *ecclesiae* ut *locus* peculiaris *cultus* assignata fuit.

In *Sectione III.* argumenta contra *Scachum* pugnantia adducuntur. Quorum *primum* a vocis אֱלֹהִים radice desumitur. §. 1. communis sententia אֱלֹהָה atque אֱלֹהִים a radice Arabicā ﷺ coluit originem trahit. Nec inepte, quia non solum utrinque ה mobile occurrit, sed et conuenientia significationis cum sua origine locum habet. §. 2. Dissentit *Gussetius*, afferens, אֱלֹהָה suae esse originis, ab eoque potius radicem illam Arabicam formari. Sic tamen, nomen illud *cultum religiosum* significare, iniuritus concedat. §. 3. Male itaque *Scachus* אֱלֹהִים ex אֱלֹהָה atque אֱלֹהָה deducit, adeoque Deus non ut *imperator bellicus* dicitur אֱלֹהִים (Conf. in *Sect. 2. Argument. III.*) *Argument. II.* exponit damnum, quod ex *Scachi* sententia nascitur. §. 1. Iuxta ipsam enim ex nomine אֱלֹהִים pluralitas personarum diuinarum probari non posset. §. 2. Nostra uera sententia Theologiae fauet. *Tertio* iuxta *Scachi* hypothesis, §. 1., Deus ob aliam causam אֱלֹהָה ante foedus cum Israëlitis initum, ob aliam uero post illud dicere-

ceretur. (Vid. Sect. II. Argum. IV. §. 4.)
 §. 2. Neque istud per anticipationem factum, probari potest. Tandem ipse titulus *imperatoris bellici Deo repugnat.* §. 1. Imperator Romanus describitur eiusque potentia *dependens asseritur.* §. 2. Praeter alia uero a Deo dependentia remouetur.

* * *

Die XV. Octob. de Syria Zoba ad illustrationem 2. Sam. VIII. 3. 14. aliorumque S. S. locorum disputauit Praeses M. ERNEST. FRIDERICVS COBIUS, Fac. Philos. Adiunctus, Respondente M. CAROLO SALOMONE LIMPERT, Thungensi Franco. Lit. Vid. Gerdei. pl. 5.

In praeloquio tum occasio, tum utilitas dissertationis indicatur. Cum nuper admodum Praeses peculiari dissertatione, de *Aere Metalli fossore* exponeret, promisit se fines *Syriae Zobae* alibi curatius descripturum esse, occasione iam oblata datam fidem liberauit. Quia Sa. affirmat, cum *Sobaeis* pugnasse Saulem, Sobaeatque Davidis atque Salomonis armis subiugatam et terrae sanctae adiectam fuisse, exinde utilitas huius argumenti apparent. Tractationem quod attinet, praemissis quibusdam de *Aramaee Zobae* appellatione obseruationibus, potiores *Philologorum* de ipsius *situ* sententiae exponuntur, hisque sub examen uocatis, Autoris sententia communicatur. §. I. Obseruatur uocem אֶר absolute positam du-

plici modo sumi. Dicitur ita ab Aramo *Semi* filio, nec obstat, quod *Bethuel*, *Laban* et *Iacobus* nominentur *Aramaei*. Neque obuerti potest, quod, cum אַרְם, ab Ebr. אַרְם deductum esse uero-simile uideatur, Syriae id nomininis a situ excelso sinditum dici queat, nec proinde ad *Aramum* quendam h. l. recurrendum sit. Male primatus Syriae gentis *Aramo* Kemuelis filio attribuitur, אַרְם per Συρίαν recte exprimitur, quae uox ex אַרְם decurtata uidetur. §. II. Philonis Sententia de uoce צוֹבָה reiicitur, et licet Hilleri explicatio laudetur, placuit tamen אַרְם צוֹבָה potius interpretari *Syriam intumescentem*, uel *turgidam*, ut sic *Syriae compressae*, אַרְם מִעְכָּה, opponatur. Tandem enarratur, quomodo צוֹבָה in uersionibus exprimatur. §. III. nomenclatura *Syriae Zobaeae* transit Autor ad ipsius fines, qui Relandi iudicio, certo constitui nequeunt: tot enim eruditorum de istius regionis situ sententiae sunt. Primo *Iosephus* eam nimis longe a Palaestina remouet imposuitque *Petro Martyri*, ut, *Sobaeam* eandem ac *Sophenem* Armeniorum esse, crederet. Propriores aliquanto *Palaestinae* *Sobaeos* facit *Arabs*, qui in uersione sua per צוֹבָה intelligit *Nisibim* urbem *Mesopotamiae* clarissimam. Intra *Mesopotamiam* Epiphanius quoque retulit *Sobaeam*, coniectante *Bocharto*, qui *Susobam* apud illum a *Soba* haud diuersam esse suspicatur; sed tam prima quam secunda sententia refellitur. *Hadad-Ezer* quidem duce *Sobacho* e *Syria trans-*

Euphra-

Euphratensi contra Israelitas eduxit copias; sed auxiliares, a Mesopotamiae regibus, ipsi uectigalibus, submissas. Non itaque fines Sobaeorum haereditarii cum finibus eorum dominii confundi debent. Ratio sententiae Epiphanii et uersionis Arabicae exponitur. Iosephus uero excusat, ostenditurque, quod Graeco Σωφήνς uocabulo, quo Ebraicum צָבָה, interpretatus est, non Sophenem, Armeniae prouinciam designauerit, sed expresserit τὸ Σοφεῖον Ezech. XLVII. 17., quod Syrus quoque pro nomine proprio habuit expousuitque per Sephiun. §. IV. Ceteri Scriptores ferre omnes ad Syriam cis-Eupratensem Sobaeam referunt. Limites eius ad occidentem Palaestinae ponit Grotius, quando Sobaeos Philistaeis hac de causa uicinos facit, quod 1. Sam. XIV. 47. Sobaei cum Philistaeis coniungantur, sicque intelligi possit, quod David Hadad-Ezerem, ad Eupratem contendentem, ob uiolatos Israelitarum fines profligauerit. Verum Aramaea uetus tam late uersus Austrum nunquam patuit, ut ad Philistaeorum agros excurreret, nec Sobaeorum coniunctio cum Philistaeis utrorumque uicinitatem infert. §. V. Bochartus, a Grotio in oppositam prorsus plagam secedens, statuit, quod Euphrates Syriae sobae limes fuerit orientalis eiusque terminis recte agrum Palmyrenum includit. Falso uero assent, eandem in Aram desertam quoque excurrisse. Bocharto quidem fauet Guil. Tyrius et Eupolemus apud Eusebium, sed antiquam Syriam non ultra Palmyram excurisse ex Ptolomaeo constat. Ne-

que Davidis et Salomonis tempore Syriae fines
qua meridiem ampliores extiterunt. Spanheimius
hac occasione et laudatur et notatur. §. VI.
Versus Septentrionem Palaestinae ad Syriam, stric-
tiori sensu acceptam, Aramaeam hanc maxima
pars Iudeorum et Christianorum reducit. Sen-
tentiae Iudeorum, Arabum, Spanheimii et eorum,
qui cum ipso faciunt, Bonfrerii etc. notantur
§. VII. Tandem Autor suam sententiam subiicit,
statuitque, quod terminus Occidentalis Syriae So-
baeae fuerit Libanus: australis terra Canaan et
Syria Damascena: Septentrionalis Epiphania:
Denique orientalis solitudo Palmyrena atque Eu-
phrates. Quod probatur I.) ex סבִבָּה 1. Sam.
XIV. 47. (II) Quia Sobaea media inter Aram
Beth-Rechoboth et Aram-Maacha 2. Sam. X. 6. po-
nitur. Nec obstat 1. Chron. XIX. 6. (III.) Huc
quam maxime facit Iosephus, uerba 1. Sam. XIV.
47. וּבְמִלְכֵי צוֹבָה exponens: καὶ τὸν βασιλέα
τῆς Ὀβας. Vbi uox Ὀβας, non ut Clericus auda-
cter pronunciat, mendosa, sed industria a Iose-
pho pro **חובָה** substituta est, ut Sobam eundem
locum atque Hobam uel **חוֹבָה**, Genes. XIV. 15.
memoratam esse ostenderet. (IV.) Sobaeorum, ad
Libanum accolentium, aliqua uestigia in scriptis
profanis deprehenduntur. §. VIII. Sic, limite
Syriae Sobaeae occidentali una cum australi de-
monstrato, porro Septentrionalis terminus adstrui-
tur. Quod Chamata non diuersa sit ab Epiph-
ania probatur. חַמָּת uero cum חַמָּת a Relan-
do male confunditur. Nec Chamat maior a Cha-
mat

mat est diuina. §. IX. Limes orientalis est *Euphrates* et solitudo *Palmyrena*. Quod inde probatur, quia iuxta 2. *Cron.* VIII. 3. *Salomo*, expugnata *chamat Zoba*, urbem תְּרִמּוֹן, quae 1. *Reg. IX.* 17. etiam תְּמַר scribitur, in deserto condidisse dicitur, per quod *Palmyrena* solitudo intelligitur. Notatur Clar. *Hardtius*; Celeberr. uero *Danzius* hac occasione laudatur. §. X. Reliqua in prooemio promissa singulari Dissertatione propediem expedientur, in qua Auctor primo usum huius argumenti in illustranda Geographia S. ostendet, tum Cel. *Hardtii* atque *Odermanni* singulares de fluvio פְּרָת hypotheses examinabit, denique succinctam regni *Sabaei* historiam subiunget.

* * *

Die XIX. Octobr. habita est disputatio Theol. de introuersione hominis in se ipsum, eum uera, tum fanatica, quam Praefide MARTINO CHLADENIO, S.S. Theol. D. Eiusdemque Prof. Publ. Aedis ad arcem Praeposito, et Senatus Ecclesiastici Assessore, publicae placidaeque disquisitioni submisit M. IOHANNES CHRISTIAN. LETSCH, Vratislauiensis Literis Viduae Gerdesiae, 8. plag.

Praemittit Autor Praefamen quoddam, in quo ex Cantic. Cantic. doctrinam de mediis et ordine salutis, nec non actibus gratiae Spiritus S.

applicatricis, comparat cum *vinea Spirituali*, com-
monstratque, quantis eadem subiecta sit hostibus,
tum apertis, tum callidis, et custodes nonnun-
quam minus fideles acceperit, quod exempli loco
dissertatione hac, *de introuersione hominis in se*
ipsum probandum suscipit. Tractatio duabus
absoluitur sectionibus, quarum I. *de introuersio-*
ne in seipsum uera, agit. Praemittit Autor Posi-
tionem, quae omnem de uera in seipsum intro-
uersione, doctrinam neruose complectitur. Huic
subiicit *Ex Thesou*, §§. XII. constantem. Harum I. in
uocabulum introuersionis inquirit, illudque non
innocentissimum solum, uerum etiam biblicum es-
se, demonstrat ex Es. XLVI. 8. ubi *sanctum quen-*
dam redditum in cor suum, Prophetam innuisse docet,
eamque in rem *Westhemerum* allegat, qui in libro
de Trop. et Schem. Scripturae p. 257. dicit: *Ad*
cor redire dicunt Ebraei, quod Latini ad bonam
mentem redire, aut sibi restitui, unde LXX. po-
nunt μετανοησατε, i. e. resipiscite. §. II. Syno-
nymiam uocabuli recenset, ex loco non uno, praef-
fertim uocabuli שׁוּב notionem examinat, ex
Es. XXX. 15. aequipollere scil. interdum notioni וְשָׁב
שׁוּב sedit, uel שׁבַת quieuit, ut innuatur re-
uersio cum quiete uel sabbatismo quodam, quam
notionem, Iac. GVSSETIVM, *Comment. lingu.*
hebr. sub radice שׁוּב, neglexisse, monet. §. III.
de existentia redditus hominis in se ipsum com-
mentatur, eumque I) generatim describit per
ordinationem cogitationum errantium uel diua-
gantium, atque collectionem ac determinationem
eorum,

eorum, ad certum aliquod obiectum, siue sit, siue
uideatur, utile. 2) Speciatim per *actum aliquem intellectus reflexum*, quo homo se ipsum intuetur,
et ubi antea, ad speculandas extra se positas crea-
tas res, siue arduas, siue futilles, mentem applica-
uerat, tandem cogitandi facultatem ad se ipsum
dirigit, ut statum suum uel naturalem uel mora-
lem, uel spiritualem consideret accuratius, de eo-
que sobrium ferat iudicium, ad finem suum feli-
cissimam obtinendum. Exemplum affert ex Cohel.
I. 1. 13. II. 12. III. 16. IV. 1. 4. et XII. 1. 13. §. IV.
Gentilium de *αὐτογνωσίᾳ* hac affert testimonia,
praecipue antiquissimum illud γνῶθι σεαυτὸν,
cui iungit SENECAE uerba, ex Epist. 68. et 56.
Leue illud ingenium nec se adhuc reduxit introrsus,
quod ad uocem ex accidenti erigitur: Et locum.
ARRIANI ad Epict. lib. I. c. VI. p. 29. §. V. do-
cket, unde hauserint haec gentiles. 1) quidem re-
mansisse quaedam ex pura Patriarcharum religio-
ne, apud eos stamina, quae in praceptoribus mora-
libus constiterint. 2) accessisse luminis naturae
dictamen de Deo colendo, nemine laedendo, ex
quo scrutinium de Deo ac seipso fluit. 3) confor-
tium cum populis, uero Dei cultui addictis, exem-
pli Pythagorae, et Platonis, *εἰαὐτογνωσίαν* maxime
urgentium. 4) omnibus hominibus *συντηρησιν* s.
complexum quendam principiorum, tum theoreti-
corum, tum practicorum naturaliter inesse, ad quae
si accedat *συνέδησις*, stricte dicta, seu conscientia,
etymologice sumta, et tandem *σύγκρισις*, homi-
nem absoluens uel damnans, fieri non posse, quin

Q 5,

haec

haec in seipsum introuersio instituatur. Hanc in sententiam adducit SENECAE uerba ex Epist. VII. *recede intra te ipsum quantum potes!* et ex lib. III. c. 36. de ira: *Animus quotidie ad rationem reddendam uocandus est, n. τ. λ.* quo demonstratum ir, quanto rigore lumen naturae hominem ad perscrutationem sui ipsius adigat. §. VI. *introuersionem hominis non regeniti exponit, quam urgere dicit, conscientiae, instar syllogismi intellectus practici se habentis, sententiam decretoriam, et stimulo pungentes, ut et calamitates, tum publicas tum priuatas, diuinitus immisfas.* §. VII. quam imperfecta sit introuersio in seipsum, quae in *domo interiori*, (uti BERNHARDVS integro libro conscientiam appellat) a gentilibus instituitur, demonstrat, idque confirmat testimoniis et confessione Senecae, hac in re testis idonei. §. VIII. eandem, ab irregenito, ex naturae lumine institutam, describit, et quam longo, ab illa, quae ex lumine scripturae facta est, interuallo distet, fuse edocet. §. IX. ad introuersionem in se ipsum per poenitentiam, accedit, quam dicit esse eam, ubi homo post contritionem, Christum fide apprehendit, adeoque gratia Spiritus S. uocante, illuminante, conuertente et regenerante, uitam spiritualem accipit, quo extra se facio, interna unionem mystica cum Christo unitur, et ita, quoad uiuat, fidam et bonam conscientiam conseruare, et Eu^gav^ota frui studet, qui tamen et suos in defectus nullo non tempore ex pracepto Pauli 1. Cor. XI. 31, inquirit. §. X. hominis iam tam rege-

regeniti exponit introuersionem in ipsum, quam eo frequentiorem accuratioremque esse dicit, quo arctior sit cum Deo unio, ex sententia B. LVTHERI, theses aduersus Tezelium ita ordientis : *Dominus noster I. C. dicendo : poenitentiam agite ! omnem uitam fidelium poenitentiam esse noluit!* Hanc nunc fieri meditatione beneficiorum, diuinitus exhibitorum, indignitatis propter peccatum originale, eiusque fructum, uellicantem concupiscentiam, caliginis in intellectu, avopias in uoluntate, nunc infinitae sapientiae, bonitatis et misericordiae diuinae, caute tamen eam fieri, ne a uerbo abeat aut se effera homo fidelis, aut ab externis officiis partibus abstractatur. §. XI. exhibet 1) Necessitatem eius a) ex praecepto diuino, b) statu hominis, c) poenitentiae natura, d) gradibus obiectorum, e) fidei indole. 2) Utilitatem, exerentem sese a) consecutione gratiae diuinae iustificantis, b) restitutione gratiae diu. inhabitantis, c) eiusdem conseruatione, d) custodia accurata sui ipsius, e) gaudio, quod percipiunt fideles, f) perpetua sui humiliazione et patientia, g) strenuo precum ac uirtutum Christianarum exercitio. 3) Difficultatem a) in irregenitis, propter naturaliter inherenterem superbiam, b) in regenitis, siue stantibus siue lapsis, propter pugnam carnis et spiritus elationem spiritualem, optimos quosque tentantem. 4) Remedia, a) speculum legis, poenitentiam inculcans, b) gratiam diu. imploratam, difficultatem hanc tolleat. §. XII. Opposita recenser, a) introuersionis omissionem, utpote effectum car-

nalis securitatis, b) falsam eius constitutionem, pro diuersitate falsorum principiorum circa oeconomiam salutis. Cuius specimen est doctrina fanaticorum de introuersione hominis in seipsum, quam Sect. II. tradit. Praemittit itidem positionem, qua omnem fanaticae introuersionis doctrinam complectitur. Subiungit ἐκθεσιν, quae §§. 16. constat. §. I. Denominationes introuersionis fanaticae affert, ex MOLINOSIO, BOEHMIO, aliis. Iam vocari eam *recollectionem interiorem*, iam *eine wesentliche Einkehr, Abkehr, etc.* Deinde prolixè declarat, quid his omnibus sibi uelint, ex CORDERIO et GVIONIA, §. II. docet, eos non lumen uerbi, sed aliud longe, quaerere, quod illis nunc substantiale est, nunc accidentale, quae omnia confirmat, ipsis fanaticorum, praecipue BOEHMII, uerbis. §. III. ostendit terminum eius ad quem, ubi uidelicet ex horum sententia fieri debet, isthaec introuersio, 1) non esse intellectum, et uoluntatem, atque appetitum, sed 2) fundum animae, quem centrum nominant. §. IV. Medium, quo utuntur, illegitimum examinat, nimirum non esse illuminationem Spiritus S. per uerbum, sed contemto hoc, peculiarem, immediatumque Dei ductum, eliminatis omnibus ideis de Deo rebusque diuinis, quod POIRETI uerbis probat, planumque facit, quid Carolostadius terminis obscurissimis *Entgröbung, lange Weil, Studirung*, uoluerit. §. V. Modum horum spuriū notat, quo uolunt, ut homo aeterno, quem singunt spiritu, rejecto naturali, i. e. rationali, peragat

peragat introuersionem. §. VI. obiectum illegitimum centrum intra hominem positum , quod ipsum Deum esse clamant, significat. Ad hoc, perruptione, durch den Einbruch se peruenire posse iactitare, eosque multum , hanc in rem ex scriptis Rabbino - Cabalisticis subsidii petere , exemplo PORDAGII et Autoris adumbrationis Cabalae Christianae. §. VII. refert , quam belle simulando incautos fallere studeant , Scripturae lumen urgentes , ex Anonymi libello Manuscripto et POIRETO , ubi loca Es. XLVI. 8. et Apoc. III. 20. a peruersa eius explicatione vindicat. §. VIII. declarat, quid requirant Fanatici , antequam suscipiatur introuersio, alios scil. meram passiuitatem , alios summam actiuitatem cordis, hos ideo de summis angustiis loqui, quae a MOLINOSIO Martyria spiritualia nominantur , item actualem co-operationem , resignationem sui et abnegationem s. mortificationem. In sequentibus effectus huius falsos recenset , horumque 1) deductionem in statum passiuum §. IX. ubi plane nihil ab anima peragi uolunt, et ne preces quidem. 2) substantialem regenerationem , §. X. quam natuitatem Christi in nobis dicunt, ubi obseruat Auctor, quod in hac absurde regenerationi praemittant bona opera , quae tamen scriptura solis iustificatis tribuit. 3) Ecstasim , extrapositionem hominis et raptum singularem , §. XI. Cuius forma ex fanaticorum mente consistit in intellectus et voluntatis euacuatione , atque alienatione coniuncta cum tali eleuatione , ut etiam corpus ipsum simul tollatur , et e terra in sublime feratur , ipsis ecstaticis non aduer-

aduertentibus. 4. tum *reuelationes diu. sapientiae coelestis*, §. XII. *specimina ex Boehmii*, aliorumque deliriis afferuntur. 5. tum remotionem et expurgationem quisquiliarum corporis, §. XIII. 6.) effectum annihilationem sui et ingressum in Deum §. XIV. recenset, ubi urgent, ut ex Egotate redeant in nihilum, deinde in Deum §. XV. 7. mum et ultimum eumque principalem, ex introuersione hac in seipsum orientem fistit absorpcionem, uidelicet in Deum, §. XVI. Triginta et octo argumentis contra introuersionem hanc fanaticam allatis, huic dissertationi finem imponit.

* * *

Die XVIII. Octobris, Lucae dicato,
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS,
CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER, Comes Palat. Caesar. Potentiss. Polon. Reg. ac Elect. Saxon. a Consiliis, Aulae atque Iustitiae, pariter ac summi Prouoc. Senatus Antecess. Curiae Elect. Prouinc. Consist. Ecclesiast. Scabin. et Ordin. Iurid. itemque Iudicij Ducal. in Marchionatu infer. Lusat. Assessore, ex Maiorum instituto, fasces, egregie hactenus administratos, depositus, et, in futurum semestre, tradidit Viro Illustri, Excellentissimo atque Experientissimo, Domino, IOANNI HENRICO

DE

DE HEVCHER, Consiliario Aulae,
atque Archiatro Regio, Anatomes et
Botanicae Professori Publico Ordinario
Celeberrimo, terfa hac prius habita
oratione, ubi pluribus ostenditur, recte sensisse
Mich. Apostolium, dicentem: *Quisquis peperce-
rit malis, iniustitia afficit bonos.*

Patres Academiae Conscripti,
*Viri Magnifici, Summe Reuerendi, Con-
sultissimi, Experientissimi, atque Excellentissimi,*
*Domini, Patroni ac Collegae, maximo mihi
opere obseruandi,*

*Et Tu Generosissima, Nobilissima ac floren-
tissima studiosorum Ciuium concio,*

Arduum adeo graueque magistratus in Re publica munus est, ut pauci eius difficultatem satis animaduertant, pauciores, aliqua saltet ratione, eius officia exequantur, paucissimi uero ita se gerant, uti pro bonis magistratibus habeantur. Quae, ubi perpenderunt ueteres Graeciae sapientes, dederunt sedulo operam, ut regula quadam, ueluti summa breui, omnia comprehendenderent, quae ab honesto magistratu poterant requiri. Ad eam exigi, suadebant, actiones cunctas, quo futurum sit, ut munere suo rectius defungantur. Ita uero ab illis haec concinnata est, uti concepta a **MICHAELI APOSTOLIO**, atque in uerbis Graecorum, uulgo usitatis, reperiatur. *Quisquis, inquit, pepercerit malis, iniustitia afficit bonos.* Atqui hac de graui cauſa, permitte,

titate, Patres honoratissimi, ut prolixius differam, ac breuiter, strictumque dicenti, aures concedite beneuelas.

Condidit Deus Optimus maximus, Auditores, humanum genus non solum bonum, uerum etiam ita comparatum, ut singuli inter se essent aequales. Nemo alterum superabat dignitate, nemo honoribus eminebat, nemo potentia. Viuebant summa in concordia, naturalesque assidue leges sequebantur. Quod si igitur illo in statu felicissimo perstisset, dubitari posset, utrum unquam magistratus in orbe terrarum extiturus fuisset. At enim posteaquam maiorum nostrorum culpa exciderunt sanctitate sua, hominesque multiplicabantur, subito deprehensum est, plures esse malos, quam bonos, pluresque reperiendi, qui negligerent diuinis leges, quam obseruarent. Ex quo quidem fieri secus non potuit, quam ut, auctis identidem improbis, concordia, securitasque turbaretur, nemoque tutus satis uiueret. Tum uero circumspicere coeperunt talia remedia, quibus resisterent impiis, tutarentur iustos, suamque tranquillitatem magis magisque stabilirent. Pactis itaque quibusdam firmatis inter se, quae in primis ad possessiones, proprietates ac dominia spectabant, in societas certas coierunt, quarum membra ad mutuum sibi auxilium ferendum, et, coniunctis viribus, reprimendos hostes, erant obligata. Sic, quoad eius fieri potuit, degebant aliquanto melius, sic demum videbantur sibi paulo tutiores securioresque, sic animorum coniunctione

crione intima, terrorem te malis iniecturos esse, atque istos ab iniuitate detenturos, existimabant. Sed, ubi improbitas in summam erupit audaciam, facile animaduerterunt, nec haec subsidia satis esse ualida ad communem publicamque pacem acquirendam. Tandem igitur necessitate compulsi, abdicabant se libertate, ac eligebant, constituebantque magistratus, qui abundabant uiribus, honoribus, ac potentia, omnesque suae ditioni subiectos adigere poterant ad innocentiae opem ferendam.

Quotquot proinde tale munus sibi imponi passi sunt, memores sint et sciant, eo ipso se uictos esse ad piorum securitatem tuendam, ad iniurias improborum ab illis defendendas, ad iustitiam et tranquillitatem conseruandam publicam. Fac autem eiusmodi magistratum indulgere improbis, ac parcere iniustis, eosque haud punire, minus statim satisfacit Rei publicae, suoque muneri, nec potest non honestos laedere, quo ipso salutem publicam prodit, caussaque sit tumultum et turbarum. Nec uero hoc docent ea solum, quae ex iuris naturalis indole hactenus prolata sunt, uerum ipsae etiam diuiniores literae confirmant perspicue, quae magistratum vindicem iniusticiae uocant, serioque minantur, fore istum DEO minus acceptum, qui bonos damnet, improbos tueatur. Praecipiunt eam ob caussam, ut iudices nemini respiciant personam, uel timeant, propterea, quod ipsorum munus solius sit Dei. Quae quidem tam luculenta sunt et certa, tam solida

et confirmata , tam infontia ac salutaria , ut quis-
quis illa perspicere possit . Vix quidem opus erit ,
ut magistratus , haud ita munere functos ex historiarum
monumentis recenseamus . Praetereo exempla ,
quae de singulis uiris prodita , depromere possem .
Sapientissimos potius populos , Graecos scilicet
ac Romanos , profero , qui , iudicis munus non ac-
curate administrantes , sibi haud parum nocuerunt .
In Graeca Re publica multa certe magna que me-
rita sibi comparauerat Themistocles , bello Corcy-
raeo feliciter gesto , Xerxe superato apud Salami-
na , portu Phalereo triplici moenibus circumdato ,
muris Athenarum , inuitis quoque Lacedaemo-
niis , restitutis , nihilo tamen secius , cum inimici e-
ius , nescio , quam affectatae tyrannidis suspicionem
excitassent , testarum suffragiis e ciuitate electus
est . Quo ipso parcebant malis , et optimum Im-
peratorem , Themistoclem , iniuste puniebant , et
suae Rei publicae maxime nocebant , quippe quae
eius seruitiis carere cogebatur . Neque aliter
comparata fuit Res publica Romana , cum Cassius
Brutusque , atque illorum socii interfecissent
Iulium Caesarem , populumque aduersus illos
concitasset Antonius , ut in exilium illos elice-
rent .

Ecquid aliud tum perpetravit Romana gens ,
quam uiolari malos recusavit , bonos oppressit ,
ac prodidit denuo suam libertatem . Qua re fa-
ctum est , ut cogeretur perpetuo seruire seruitu-
rem , sub iugoque ingemiscere Imperatorum .
Quam ob rem equidem sub meo consulatu o-
mnem

mnem dedi operam, ut supprimerem lasciuiam, tuerer probitatem, grauis nemini, quam malis essem, omnibus bonis prodessem. Diuino beneficio literae apud nos florent adhuc, atque ubiuis coluntur. Salui sunt Patres, firma stant priuilegia nostra, augetur studiosae iuuentutis numerus, dignatatesque optime de literis merentibus tribuuntur. Tuere porro, DEVS optime maxime, coetum, nomini Tuo consecratum, conserua **POTENTISSIMVM REGEM, OMNEMQVE ELECTORALEM ET REGIAM GENTEM EIVS,** hostes nostros arce, Tuisque omnes nos cumula beneficiis.

Denique, Ciues optumi, Vobis aperiendum est, unanimi Patrum consensu decretum esse, ut fasces Academiae in futurum semestre tradenerintur *Viro Illustri, Excellentissimo atque Experiennissimo Domino IOANNI HENRICO DE HEVCHER, Consiliario Aulae atque Archiatro Regio, Anatomes et Botanicae Professori Publico incluto, Affini meo obseruando.* Porrigo hinc illi, quamuis absenti, Sceptra, quibus Saxoniae Electorum Principum auspiciis auctoritas magistratui Academico stabilita est. Defero deinde Codicem, qui continet priuilegia, quibus Saxoniae Principes hanc literatorum ciuitatem exornare uoluerunt. Exhibeo postea Sigillum, quo publica Academiae scripta muniuntur. Exsoluo quoque Claves, quibus fiscus, Archium ac carceres referantur, ac iniquitas coërcetur.

Capiat denique ornatum purpureum, quo

splendor conciliatur magistratui, ac animi magnitudo inspiratur, ut neminem metuat, sed, ueluti clypeo tectus, fortiter pro Academiae salute propugnet. Viuat igitur Magnificus Academiae Rector, et hoc felicius consulatu suo defungatur, quo maiori Regis gratia fruitur. Salutari manu medeatur incommodis, quibus hac tempestate Acadenia laborat. Efficiat sua prudentia, ut de eiusdem magistratu nobis nullo non tempore gratulemur. Dixi.

* * *

Sequuntur

**Contenta tractatus Hydrographici,
prelo parati, Autore IOH. MATTHIA
HASIO, Matth. P.P.O. Wittebergensi.**

Tractatus Hydrographicus de inuentione *longitudinis Geographicae* in linea *Rhombea* primario continebit solutionem perfectam problematis *Loxodromici*, siue modum inueniendarum longitudinum in nauigatione, quae hactenus dicta fuit *Mercatoris*.

Duobus uero modis eadem resolutio dabitur; quorum prior *Arithmeticus* ad captum cuiusuis sublimioris Matheos plane rudis accommodatus, et aequi facilis est expeditusque, ac quodvis e facilitioribus Trigonometriae planae problematis. Alter modus utitur *mappa*, quam uocant, *reducta*. Cuius tum delineatio perfectissima facillimaque, tum usus accuratissimus ostendetur.

Eius

Eius uero occasione etiam de reliquis generibus mapparum Hydrographicarum, projectionibusque sphaerae Stereographicis, Gnomonicisque ad nauigationem certo respectu utilibus sermo fiet.

Ut uero tractatio ipsa sit eo gratior et perfectior, etiam agetur tum de reliquis Hydrographiae capitibus, tum de modis, quibus hactenus nautae usi sunt in inueniendis Longitudinibus, et loco nauis, erroneis falsisque, eorumque naeui indicabuntur iisque examinabuntur.

Praemittetur uero eidem tractatio praeliminaris de *Logarithmis*, et eorum uariis generibus noua et facili ratione explicata, idque non solum ob materiae affinitatem, sed maxime propterea, quod eadem materia spectat ad fundamenta totius huius doctrinae.

Opus integrum Latino sermone conceptum constabit Alphabetis fere duobus. Tabulae Canonicae plagulas ad 20. fere efficient. Tabularum aeri incisarum existent 12. ad 15.

Autor *compendium* huius tractationis, in quo omissis demonstrationibus et tractatione praeliminari praxes solum ad captum cuiuslibet nautae aptatae exhibeantur, se daturum in se recipit, quod compendium in linguam, cuilibet genti *ueraculam* transferri possit.

Qui expensas huic operi excudendo subministrare, deque ea re cum autore per literas agere uoluerit, faciet rem non solum eidem gratam, et publico apprime utilem, uerum et editori ipsi non parum commodi allaturam,

* * *

Sequentes libri hic loci prodierunt :

In Bibliopolio

CHRISTIANI THEOPH. LVDOVICI.

Repertorium Wernherianum, seu Indices generales in Excellentissimi ICti, Dn. Iob. Balth. Wernheri, Potentiss. Polon. Reg. atque Elect. Saxon. & consiliis aulae ac Iustiae, Fac. Iurid. in Acad. Vitemberg. Ordinarii et Antecessoris Primarii Selectarum Obseruationum forensium, earundemque Supplementorum X. Partes seu VII. Volumina, alter ad ordinem Alphabeticum, alter uero ad seriem Pandectarum constructus, cura Godofredi Reinoldi Koeselisii, Phil. et I. V. D. 1723, 4. Alphab. 9. plag.

* * *

In Bibliopolio

SAMVELIS HANAVERI.

Valent. Ernest. Loescheri, S. Theol. D. Senat. Eccles. et Superint. Dresdensis, Stromateus, siue Dissertationes sacri et literarii argumenti, ineditae partim hactenus, partim editae olim, sed reuisae nunc et locupletatae; accedit de seruando in controuersiis Theologicis modo commentatio ad D. Henr. Mublium nec non Pachomii sermo contra impietatem sui seculi et prouinciale Romanum, ex manuscriptis codicibus. An. 1724, 4to 4. Alphab.

* * *

In Bibliopolio

GEORG. MARC. KNOCHII.

Commentatio de Personis, uulgo Laruis, seu Mäischeris, uon der Carnauls-Lust, critico, historico, morali

morali atque Iuridico modo diligenter conscripta a Christoph. Henr. Nob. Dom. de Berger, Comite Palat. Caesar. Potent. Pol. Regis ac Elect. Sax. in summo prouocat. Senatu Consil. Antecess. Curiae Elect. Prouinc. Consist. Eccles. Scabinat. et Ord. Iurid. in Acad. Vitemb. itemque iudicij Ducalis in March. Inferior. Lusatiae Assessore, 1723. 4to. 2. Alph. 8. plag. c. 22. plag. fig.

Carl Jacob Speners, *Teutschen Iuris publici, oder des Heil. Römisch - Teutschen Reichs vollständiger Staats-Rechts-Lebre anderer Theil, in sich haltend derselben Andern Buchs Sechs Ersten Capitel; in welchen besonders der Kern der Reichs-Staats-Historie, bey den gezeigten Vorsprüngen des Reichs an ihm selber, der Käyserlichen Würde und Gerechtsamen, der Vicariate, des Churfürstlichen Collegii, so wohl auch der Geist- und Weltlichen Reichs-Stände, und aller dakin einschlagenden mannigfalten Staats-Rechte, fürgestellet wird.* 1724. 4to. 1. Alph. 17. Bogen.

Tentamina sacra ex omnibus Theologiae partibus, item Philologia sacra, Historia Ecclesiastica et Literaria Theologica etc. Autore M. Io. Davide Steuckardo, Pastore Cracoviensi in Misnia et societatis charitatis et Scientiarum Dresdensis membro 1724. 8uo. pl. 7.

Die Gestalt des wahren Christenthums in Betrachtung der Christlichen Liebe, an stat einer Einleitung zu denen künftig folgenden erbaulichen Übungen der wahren Gottseligkeit gezeiget von Georg. Abraham Michael, Archidiacon. vor Schweidnitz, 1724. 8uo. 3½ Bogen.

Sane

*Samuel. Frider. Bucheri, Antiq. in Acad. Vitemb.
P. P. Philos. Prima siue Metaphysica Dogmatica
disciplinis maxime Theologiae applicata, tum
omnium Facultatum tum imprimis Philosophiae
et Theologiae studiosis utilis et necessaria, ante
hac in Academia propter Albim Philosophiae cul-
toribus sexies paelecta, iam uero in Ciuium aca-
demicorum usus in lucem emissâ, accedit tabula
Synoptica et nexus uniuersae tractationis Meta-
physica cum praecipuarum uocum et rerum in-
dicibus. 1723. 8uo 18. plagg.*

*Ei. Historia Metaphysica ex Manuscripto Io. Herm.
ab Elswich maximam partem eruta, et in Ciuium
Academicorum usus in lucem emissâ, 1723. 8uo
pl. 1½.*

*Ei. Antiquitates selectae in uniuersam Scripturam
Sacram lectionibus publicis in Academia Vitem-
bergensi consecratae et in perpetuos auditorum
suorum usus in lucem emissae, uolumen primum.
1723. 12mo. pl. 4.*

*Acta Academiae Vitembergensis in Rectoratu Se-
mestri Georg. Frid. Schroeeri S. S. Theol. D. eius-
demque Prof. Publ. Ordin. et Alumniorum Regio-
Electorarium Ephori. A. C. M DCC XXII. XXIII.
1724. 8uo. pl. 15.*

*M. Gottf. Balth. Scharffens, Sen. zur Heil. Drey-
faltigkeit vor Schweidniz, Gottseeliger Wittwen
Bibliotbeck, darinnen ihr Geistlich Hand-Buch,
ihr andächtig Gebetb und Gesang-Buch nebst ih-
rem Gesetz-Buche enthalten, zum Wachsthum ih-
rer Zuversicht im Glauben, Unterhaltung ihrer
Andacht im Gebethe, Vermehrung ihrer Gottes-
furcht im Wandel, und Beständigkeit ihrer Geduld
im Creutze gesammlet, und aus wahrer Hochach-
tung und aufrichtiger Liebe wohlmeinend eröff-
net, mit schönen Figuren geziert, in 8vo. 21. pl.*

